Memoravi academiae res prosperas. Nullaene mihi memorandae sunt adversae? Ad hanc quaestionem quid respondebo, adolescentes optimi? Vos respondete ipsi, non verbis, sed rerum testimoniis. Vos ne poeniteat, mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere; neque eos generosos putate et honestos, qui cunctando, sed qui amando, qui amicitiam redintegrando, restituunt rem. Quid statis! Non spectaculis et pompa, sed concordia hujus academiae vestrae natalem digne celebrabitis! Agite dextris jungite dextras eoque pacto foedere, tanquam hymno pulcherrimo, divinum laudate amorem!

Ita mihi magistratu abeunti, ita successori magistratum ingredienti, ita vobis Professores Clarissimi! ita omnibus academiae civibus hunc diem Deus fortunet!

DIXI.

ACTA ET GESTA IN SENATU

ADDITAMENTUM I. ORATIONI RECTORIS.

A. 1839.

Die 17 Aprilis. Quoniam constabat Magnum Principem Russiae die 18 Aprilis Leidam esse venturum, de tempore et loco salutandi Principis deliberatum est. Res commissa Rectori et senioribus. Faceret Rector, quod Academiae bonum et honestum arbitraretur.

Die 22 Aprilis. Pro-Rector ad Senatum retulit, quo modo, absente Rectore Magnifico, rem in causa Russici Principis gesserit. Rem ita gessit.

Die 18 Aprilis Pro-Rector Seniores in Senaculum vocavit. Brevi antea quam institueretur deliberatio, factus est certior, Principem constituisse ipsum Academiam visere. Venit cum Principe Arausiae et illustri comitatu. Duo e Senioribus eum ad valvas Academiae salutantes, in Senaculum deduxerunt, ubi exceptus est a Pro-Rectore, rogatusque ut sederet in sede Rectoris, et ipse et Princeps Arausiae, hic ad sinistram Russi, sederunt. Pro-Rector sedens e regione, Principem Latine sic allocutus est:

« ALEXANDER NICOLAI FILI, Magne Princeps Russiae!

« Pro-Rector et Senatus Academiae Leidensis Te salutamus,
« nobisque et Tibi gratulamur de adventu tuo in Academiam,
« olim praesentia CAESARIS PETRI ornatam, multorumque ex
« Russia nobilium altricem. »

Princeps humane respondit sermone Francico, et aliquamdiu

moratus discessit. Princeps Arausiae Pro-Rectori gratias egit pro honore Russiae Principi et ipsi habito. Duo ex senioribus Principes ad valvas Academicae reduxerunt.

Rector Magnificus hodie Pro-Rectori pro re bene gesta gratias egit.

Die 12 Julii. Lecta est Curatorum Epistola de Cl. J. F. VAN OORDT, Theol. Prof. in Acad. Groningana, ad Theologiam in nostra docendam invitato.

Pro-Rector ad Senatum retulit de Principe Arausiae haereditario et conjuge Sophia Wurtebergensi propter matrimonium salutandis.

Die 10 Sept. Pro-Rector retulit reges propter matrimonium Principis Arausiae et Sophiae Wurtebergensis a legatis ex senatu Academico esse salutatos.

Lecta est epistola Curatorum de GIDEONE JANO VERDAM, Mathes. Mag. Philos. Nat. Doct. vocato in Academiam Extraordinario Professore jure suffragii et beneficiorum ordinarii Professoris.

Lecta est epistola Curatorum de Vexillo adolescentium Academicorum, qui a. 1830 arma pro Patria et Rege sumserunt, reponendo, ubi optime maneret: itaque fieret, quod Rex decreto diei 11 Junii 1839 jussit. Curatores diem dixerunt 21 Septembris, si Senatus idem censeret. Censuit Senatus, et alia cum Curatoribus ordinavit.

Die 21 Sept. Pro-Rector, sequente Senatu et militibus Academicis cum vexillo in auditorium Academicum descendit, habuitque, coram Curatoribus et ingenti auditorum multitudine, orationem tempori consentaneam. Recitata decreti Regii sententia, cum signifero, quatuor Professoribus, centurione et militibus Academicis in senaculum profectus, vexillum, a signifero acceptum, reposuit.

In auditorium reversus, orationem absolvit. Milites Academici deinde in senaculum, quod petierant, admissi, Pro-Rectori et Senatui gratias egerunt.

Die 30 Nov. Cl. G. J. VERDAM munus auspicatus est habita oratione.

Lecta est epistola Curatorum, scribentium, legatum Baronem KRAYENHOFF ipsis dono dedisse omnes libros MSS. de negotiis Geodaeticis et Astronomicis, ab a. 1802 — 1811 in Hollandia (hodie regno Neerlandiarum) gestis: Curatores donum lubentes accepisse, inque Bibliothecam Academicam reposuisse: additum erat exemplum epistolae, a Barone KRAYENHOFF ad Curatores scriptae.

Die 11 Dec. Cl. J. F. VAN OORDT, munus auspicatus est habita oratione.

Die 29 Dec. Senatus designavit viros Cl.

J. R. THORBECKE.
J. CLARISSE.
J. VAN DER HOEVEN.
G. L. MAHNE, quorum nomina ad Regem deferantur, ut inde Rectorem Magnificum legat.

Senatus scribam creari jussit unum ex quatuorviris

H. G. TYDEMAN.
G. SANDIFORT.
J. CLARISSE.
J. VAN DER HOEVEN.

Die 29 Dec. Rector retulit se ex Senat. decreto d. 24 Dec. cum senioribus salutavisse ALEXANDRUM, Principem Neerlandiarum, qui sedem rerum suarum Leidae fixerat.

Lecta est epistola Curatorum cum Regio decreto de lecto Rectore Magnifico Cl. J. R. THORBECKE.

Creati sunt Asssores Cl.
VAN OORDT.
UYLENBROEK.
WEYERS.
BROERS.

A. 1840.

Die 8 Febr. Rector refert in conventu Curatorum, Rectoris et Assessorum, Cl. H. G. TYDEMAN, creatum esse scribam Senatus Academici in annum sequentem.

Rector cum Senatu caeterisque Professoribus in auditorium descendit, et orationem recitavit de *Institutione Academica.* Tum scriba legit decretum Regium de novo Rectore, et nomina scribae et assessorum edidit. Denique Senatus caeterique Professores novum Rectorem in senaculum deduxerunt et salutarunt.

ADDITAMENTUM II. ORATIONIS RECTORIS MAGNIFICI.

INCREMENTA MUSEI NUMMARII UNIVERSITATIS LUGDUNO-BATAVAE,

CORNELIO PRUYS VAN DER HOEVEN,

VIRO CLARISSIMO,

RECTORE MAGNIFICO.

MDCCCXXXIX — MDCCCXL.

Incrementa Musei constant nummis cum coëmtis, tum donatis.

Coëmti ex subsidiis annuis sunt nummi aliquot Romani, ut et medii quod dicitur aevi; praeterea nummi memoriales (*Gedenk- en Legpenningen*) patrii, tum qui describuntur in operibus Mierisii et Loonii, tum qui postea demum cusi sunt; nummi consulares, vulgo *Vroedschapspenningen* dicti, civitatum Harlemi, Roterodami, Delphorum, Leovardiae atque Sylvae Ducis; — nummi memoriales Angliae, Belgii, Franciae et Helvetiae; — moneta sive nummi argentei et aenei Neerlandiae, Germaniae, Bohemiae, Poloniae, Russiae, Daniae, Angliae, Helvetiae, Hispaniae, Italiae, Insularum Ionicarum sub ditione Angliae, Gibraltari, Turciae, Indiae vulgo dictae *Hindostan*, Societatis pristinae Orientalis Neerlandicae, insulae Taprobanes (*Ceylon*) Tranquebari, ditionis Maroccanae, Coloniarum Demerary et Essequebo.

Donatos nummos debemus benevolentiae partim Viri Nobilissimi, magno munere publico fungentis Hagae Comitum, qui Museum multis nummis argenteis Italicis, Helveticis, Germanicis ditavit, sed nomen suum modeste celari voluit, partim dono dederunt viri spectatissimi G. van Orden, Burgimagister Zaandamensis, aliquot nummos Anglicos medii aevi et variorum

pagorum Helvetiae nummos; A. Blussé van Oud-Alblas nummos aeneos variarum regionum, Angliae inprimis et Belgii; J. Cremer van den Berch, vir Cons. magnum nummum argenteum, *scudo* dictum, Gregorii XVI, Pontificis Maximi, H. G. Tydeman, v. cl., nummum minorem argenteum (*schelling* vulgo dictum) civitatis Daventriae; P. Verkade, tabellio Vlaardingensis, aliquot nummos aeneos Reipublicae Graecae, Capo d'Istrias, Viro Illustrissimo, Praefecto.

Scripsi Lugduni-Batavorum,
mense Februario CIƆIƆCCCXL

P. O. VAN DER CHIJS.

GIDEONIS JANI VERDAM

ORATIO

DE

ARTIUM ET INSTITUTORUM, QUAE AB INDUSTRIA VOCANTUR,

PROGRESSU ET PERFECTIONE, RECENTIORUM MATHEMATICORUM

DILIGENTISSIMIS PERVESTIGATIONIBUS ATQUE EGREGIIS

INVENTIS MAGNAM PARTEM TRIBUENDIS.

HABITA A. D. XXX NOVEMBRIS ANNI MDCCCXXXIX.

QUUM DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM AC PHYSICARUM PROFESSIONEM

EXTRAORDINARIAM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

SOLENNITER AUSPICARETUR.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES, VIRI NOBILISSIMI, ILLUSTRISSIMI!

QUI CURATORUM COLLEGIO AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE!

QUI, IN HAC URBE, AUT JURI DICUNDO, AUT CIVITATIS COMMODIS CURANDIS PRAEESTIS, VIRI INTEGERRIMI, GRAVISSIMI!

QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CELEBERRIMI!

ASTRONOMIAE LECTOR, VIR DOCTISSIME, EXPERTISSIME!

DIVINORUM VERBORUM INTERPRETES FACUNDISSIMI, VIRI MAGNOPERE VENERANDI!

QUARUMCUNQUE DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI CONSULTISSIMI, DOCTISSIMI!

CIVES HUJUS ACADEMIAE, ADOLESCENTES PRAESTANTISSIMI, QUI BONARUM ARTIUM ATQUE HUMANITATIS STUDIIS AD DOCTRINAE LAUDEM COTNENDITIS, COMMILITONES AMICISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE, CUJUSCUNQUE LOCI, ORDINIS AC DIGNITATIS HUC CONVENISTIS, AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Etsi ab omni inde tempore laudare et admirari solent homines, quidquid artificum ingenio et fabrorum dexteritate, aut opificum diligentiâ, pulchre confectum, concinne subtiliterque compositum, ac mirâ accuratione constructum, aut denique magnâ arte nitidissime et splendidissime elaboratum et comparatum est, — neminem tamen fore arbitror, qui sibi persuasum non habeat, nullam praeter nostram fuisse aetatem, qua omnes cujuscunque generis artes, opera et instituta, quibus conficiuntur et parantur, quae ad vitae usum atque ad hominum commoda sunt necessaria, quaeque mores flagitant et tempora, tot tantaque in se habuerint praesidia et majoris momenti aestimatae sint. Nec mirum; nam si diligentius attendimus, et majore animi contentione in earum indolem inquirimus, facile patet, ipsas mirificâ subtilitate, summoque ingenio esse excultas et propemodum absolutas, nec ita tandem imperitorum aut indoctorum labore et assiduitate, at potius eruditorum, imprimis mathematicorum, physicorum et chymicorum pervestigationibus et inventis perfectiores esse.

Formas etenim elegantesque structuras si spectemus, geometricâ ratione descriptas et ordinatas esse apparet; — aut continuo de numero, de mensurâ, deque partium justis symmetriis quaeritur, quae non, nisi matheseos ope, inveniuntur. Ubi pressione opus est aut vi, ad varios effectus edendos, — ubi motus fieri debet, ubi tempus est considerandum, — aut denique ubi quamplurium partium sive numerorum concinna motus moderatio et modulatio desiderantur, profecto, sine mechanices scientiâ, haud multum proficies. Sic etiam quod fluidorum, imprimis elasticorum, actione fieri videmus, quaeque calore, frigore et humore, miscentur, temperantur et exprimuntur, caeteraque ejusmodi, vix sine physicâ duce recte procedunt. Et chymia

maximam sibi adsumit partem, quotiescunque diversissimorum corporum habitus et natura, per actiones ita dictas chymicas, sunt immutanda, aut cum nova prorsus corpora sunt procreanda.

Saepenumero consideranti mihi, quot quantaque auxilia ita praebuerunt disciplinae mathematicae ac physicae, quantumque debemus iis viris doctis, e quorum egregiis investigationibus, praeclarisque inventis, tam multa bona in communem utilitatem redundarunt, — mirum esse videbatur, cur tantorum praestantissimorum ac summis ingeniis praeditorum virorum magnae laudes hac in parte vix praedicatae, immo fere neglectae essent.

Quum igitur, ad auspicandum munus honorificum, Augustissimi REGIS munificentiâ mihi delatum, verba faciundi necessitas, majorum more et vero lege, esset imposita, magnisque eâ de re difficultatibus premerer, quod verebar ne argumentum eligere non possem, tum a studiorum ratione, tum a munere obeundo haud alienum, — solenni orationi satis idoneum, — nec tam jejunum aut etiam obsoletum, ut auditoribus exoptatissimis foret ingratissimum, — tandem monere quaedam constitui, de Mathematicorum Recentiorum, qui saeculis decimo septimo et octavo (*aureâ illâ Matheseos aetate!*) floruerunt, investigationibus et inventis, quae, nostro praesertim tempore, ad industriae artes amplificandas et perficiendas, tanta praebuerunt adjumenta, praesidiaque tam valida.

Revera A. A. S. S.! illae artes tam insigne incrementum nunquam cepissent, nisi ad ea, quae mathematicorum sedulo studio et sagacitate circumscripta, determinata et detecta sunt, accedisset, quod physicorum et chymicorum hujus aetatis diligentissimis observationibus, tum etiam exactissimis et ingeniosissimis experimentis, summâ curâ ac indefesso labore, prolatum est atque inventum. Sin autem ad hoc insuper attendere liceret, — si viribus meis haud impar foret, horum praestantissimorum doctorum laudes, hac in re meritissimas, celebrare aut efferre, — tamen vererer, ne propter rerum explicandarum copiam, dicendi spatium egrederer, — eoque magis, cum etiam, quid proprie, in artium usum et emendationem, a Recentioribus Mathematicis praestitum sit, non speciatim, sed in genere tantummodo, explicare, aut potius breviter adumbrare, possim.

Atque hîc quidem, quales quantasque partes nunc suscepturus sim, si iterum considero; — tum etiam si perpendo mediocritatem, immo tenui-

tatem meam, infantiam porro; — si, quanta sit muneris capessendi gravitas, revoco; — denique si, ex hoc augustissimo loco, tantos celeberrimos atque eruditissimos viros conspicio intuentes, exspectantes, et, quoties dico, toties de me judicantes, — haec omnia cum animo volvam et ante oculos habeam, maximo timore me commotum et perturbatum ad dicendum accedere, palam confiteor. Quare A. A. H. H.! mihi, prae aliis, benignitate et indulgentiâ faveatis, auresque faciles praebeatis, obnixe rogo et obsecro. — Me itaque sublevetis dicentem *de artium et institutorum, quae ab industriâ vocantur, progressu et perfectione, recentiorum mathematicorum diligentissimis pervestigationibus atque egregiis inventis, magnam partem tribuendis.*

Quamplures industriae artes cum, antiquis temporibus, non ingenuae censerentur, haud mirandum videtur, veteres philosophos et geometras tam parum ad earum usum et perfectionem contulisse. Accedebat autem, quod minime iis placuit, in ejusmodi contemplationibus, quae ad scientiam augendam, eamque adhibendam, instituerentur, a methodo geometricâ quodammodo discedi, aut quaedam principia, ex aliis fontibus hausta, cum doctrinae geometricae principiis solidioribus copulari, vel etiam commisceri. Cumque *e. g.* inter veteres mathematicos fuerint, qui imprimis ad mechanices studium animum attenderent, hujusque doctrinae fundamenta, ope geometriae principiorum et theorematum, ponere et stabilire sibi proponerent, haud feliciter iis contigit, ut ex eorum investigationibus, sive in communem utilitatem, sive in ipsius scientiae augmentum, fructus aliquis caperetur. Philosophi etenim de ipsis mechanices principiis, deque methodo, valde dissentiebant, pluresque ex inde ortae controversiae quam utilitates, causae fuere, cur hujus disciplinae studium non modo, sed illud etiam, quo geometriae usus latius pateret, omnino negligeretur. Itaque ab ARISTOTELIS inde tempore, usque ad ARCHIMEDEM, omne illud studium quasi incultum jacuit. Hujus autem summi geometrae eximio ingenio quantum debent tum disciplinae mathematicae, tum etiam variae artes, nemo profecto erit, qui paucis explicet. Quum vero satis cognitum sit, quaenam a praestantissimo viro in

mathesi sint detecta aut perfecta meliusque descripta, — quid laudatissime praestiterit ad mechanices principia investiganda, emendanda, absolvenda atque ad leges simplices referenda, — quot et quales machinas, inter quas reperimus utilissimas, ingeniosissime invenerit, — quanto denique ei sit honori, quod novae tunc partis disciplinarum mathematicarum, *hydrostatices* nimirum, initia rectissime designaverit, — ea omnia cum in promptu sint, memorasse nobis sufficiat, ARCHIMEDI, etiamsi, suo jam tempore, omnia praeclara ejus inventa in usum nondum venerint, tamen minorem honorem non fuisse tribuendum, propterea quod disciplinarum mathematicarum varias partes exactiori ratione perfecerit, multisque rebus, subtilissime excogitatis, ornaverit et locupletaverit, ita ut fontem multo uberiorem et meliorem praebuerit, e quo recentiores mathematici citius, certiusque haurirent, ad disciplinas, quibus operam navabant, amplificandas, et in artium utilium fructum convertendas. Et tamen fuerunt philosophi, qui, tempore ARCHIMEDIS, de ejus doctrinâ mechanices dubitarent, quasi nullius utilitatis foret ad ipsam *mechanicam* amplificandam aut perficiendam. Mechanicam enim censebant *artem machinarum comparandarum*, nec ullam esse in hac arte geometriae aut doctrinae mechanices vim et efficaciam, immo ipsam esse indigniorem, cujus indoles aut ratio a geometris consideraretur. Quod quam absurdum erat, ARCHIMEDES, re ipsâ et facto, evidentissime probavit.

Post ARCHIMEDIS aetatem quamplures floruerunt artifices, architecti, caeterique, quorum nomina ad nos pervenerunt, quique, eximiis ingeniis praediti, varias invenerunt res, ad vitae usum optime accommodatas; et opinari licet, eos, ARCHIMEDIS exemplo, inventorumque concinnâ ratione et utilitate, nisi excitatos et impulsos, at certe in excogitando et conficiendo adjutos fuisse; fama quippe tanti viri apud omnes cujuscunque generis artifices tantum valebat, ut nullus eum haud admiraretur. Nisi autem excipiamus HERONEM ALEXANDRINUM, nullus fere doctus inter antiquos mathematicos reperitur, qui in varias industriae artes perficiendas, atque in artificum artiumque peritorum ingenia excolenda, omne studium, laborem et curas contulerit. Opus hoc laudatissimum recentioribus mathematicis erat relictum, qui illud, magnâ sedulitate et diligentiâ, quasi iterum inchoarent, omnibusque, si posset, numeris et partibus explerent.

Longum enimvero illum medii aevi tractum si percurrimus, solo etsi fertili praeditam, tamen incultam, spinisque ac dumis ubique consitam regionem perlustrare nobis videmur, ubi sese vix offerunt quaedam spatiola, amoenâ viriditate gaudentia, aut raro incolarum labore quodammodo fructifera. Sic igitur, quae a paucis veteribus mathematicis, incredibili industriâ, omniumque virium contentione, ex abditis reconditisque locis protracta fuerant, et quae, rudia primum, mox jam aliquantum conformata, facili quidem labore polita et splendida facta, ac usui denique pretiosissima fuissent, sic haec omnia, per totum illud multorum saeculorum intervallum, inelaborata et fere intacta jacuerunt. Namque si interdum fuerint, qui singulari scientiae, aut artis cujusdam promovendae amore incitati, quid a veteribus factum productumve fuerat, perficere aut extendere et utilius reddere conati sint, parum hoc valere potuit, cum, quod ab his susceptum fuerat, ab aliis, qui sequebantur, raro sustineretur, immo potius relinqueretur.

Renatis autem litteris, disciplinae mathematicae quoque renatae sunt, et brevi insigniter adoleverunt. Et tum etiam variae artes, ex uberrimâ harum disciplinarum subsidiorum copiâ, altae et nutritae sunt, cum permulti viri docti, ingenio et doctrinâ perillustres, honoris gratiâ et scientiae ardore, nec praemiis expositis, inter se certarunt, de laude earundum disciplinarum, — quae vulgo *physico-mathematicae* dicebantur, — investigandarum, multoque latius amplificandarum, et, quomodocunque fieri posset, ad usum et fructum adhibendarum.

Galilaeum nisi primum, at certe inter primos cernimus nominis nobilitate eminentem, qui, eximii ingenii acumine adductus, incitatus atque propulsus, veritatem indagare, et hanc almam lucem per errorum tenebras afferre, summâ ope nisus est. Multa in variis disciplinarum mathematicarum partibus investigavit invenitque, quae latebant, aut de quibus dubitabatur; et praesertim de mechanices doctrinae progressu optime meruit. Ei etenim debemus, quod hodie constat, de praeclarâ illâ naturae lege, quâ reguntur gravium, sive cadentium, sive projectorum, lapsus cursusque. De motu in genere, quae consideravit, ea, quasi novae doctrinae (quam *dynamicen* vocant) fundamenta fuere. Quod ab Aristotele jam suspicatum aut divinatum erat,

de mechanices principiis, evidentissime ostendit et confirmavit. Sagacissime porro de machinarum actione et vero effectu cogitavit, justasque rationes indicavit. Denique ad novam omnino, posteaque celeberrimam quaestionem accessit, ad quaestionem nimirum de corporum solidorum firmitate et tenacitate, quae nomine *resistentiae* distinguitur, quippe indicat, quantum ferre et *resistere* possunt illa solida, quum grave pondus sustinent, sive quum fortiter premuntur aut feriuntur et colliduntur.

Ita autem A. A. S. S! si exponere pergerem, quid alii, in disciplinis mathematicis praecellentissimi docti, maxime praestiterint, qui aut eodem, quo floruit GALILAEUS, tempore vixerunt, aut post illud tempus, ad nostram usque aetatem, secuti sunt; — si igitur nomina proferrem TORRICELLII, STEVINI, CARTESII, WALLISII, LEIBNITZII, NEWTONIS, HUGENII nostri, BERNOUILLIORUM, EULERI, LAGRANGII, MONGII, aliorumque multorum, qui pari diligentiâ ac scientiae amore, aut indagandi cupiditate, in *illâ aureâ aetate*, ad doctrinae laudes contenderunt, quique doctissimorum et vel sagacissimorum mathematicorum recentiorum coetum celeberrimum constituerunt, — si ad haec adjicere possem, quae tandem a quampluribus viris eruditissimis, inde a fine praecedentis saeculi, ad hoc usque tempus, pervestigata, indagata et reperta sunt; — profecto dies me deficeret, nec orationem habere, et, quod propositum est, probare, sed potius *matheseos historiae* excerpta quaedam vobiscum communicare viderer.

Tali quidem modo, A. A! patientiâ et indulgentiâ vestrâ ne abutar. At tantum mihi concedatis, ut paucis repetam et in memoriam revocem, in quantum et quam brevi, mathematicarum disciplinarum auxilia aucta sint, quo melius de iis recentiorum mathematicorum meritis, de quibus in hac oratione dicere velim, judicare possitis.

Cum igitur a GALILAEO mechanices sive potius statices et hydrostatices principia confirmata fuissent, cumque motûs quasdam leges detegisset, — ad hoc cum, paulo post, hydrodynamices studium melius fuisset inchoatum, statim omnes illius aetatis eruditissimi geometrae in hisce disciplinis laudabiliter elaborarunt, ita ut iis felicissime contigerit, variarum questionum consideratione, subsidiorum copiam insigniter augere, ad multas res novas

investigandas ansam dare, totiusque scientiae limites vel maxime dilatare. CARTESIO porro multum debebatur, quod egregie docuisset, quomodo, analyseos ope, investigandi auxilia multo magis valerent, eamque ipsam, tanquam unicum inveniendi instrumentum, esse adhibendam. Mox novam et clarissimam lucem attulit summus NEWTONUS, qui, nisi in variis disciplinis mathematicis amplificandis praecelluisset, ob id solum foret incomparabilis, quod, suâ philosophandi ratione, viam monstraverit, immo muniverit, quâ demum incedere oporteat, ut scientiae principia stabiliantur, utque, errorum fontibus evitatis, rectissime ad veritatem perveniatur. Sed plura fecit, cum easdem etiam disciplinarum mathematicarum partes, in quibus contemplandis et pertractandis LEIBNITZIUS, nosterque HUGENIUS tantas laudes consecuti sunt, permultis praeclaris inventis emendaverit et fere complerit. Nimirum respiciatis velim nova calculi genera, — curvarum theoriam magis exactam, — mechanices principia melius determinata atque adhibita, — motûs leges, corporumque varie motorum theoriam enucleatam, — dynamicam, hydrostaticam, opticen, et si quae fuerint aliae disciplinarum mathematicarum partes, magis perfectas et egregiis experimentis illustratas.

Facie tunc mathematicarum disciplinarum ratio et studium quasi immutata sunt, cum fundamentis solidioribus niterentur, nec metus adesset, ne principiorum infirmitate, aut instrumentorum vitio et penuriâ, aut etiam adminiculorum paucitate et defectu, tantâ laude dignissimum opus haud certissime continuaretur. Itaque eorum, qui deinde secuti sunt mathematici, singuli suas adsumebant partes, cum alii omnem geometriam et analysin, alii mechanicam, alii hydro-mechanicam, quaeque huic doctrinae confinia sunt, alii opticen, astronomiam, nauticamque artem, alii alia mathematicarum disciplinarum capita tractarent. Multi inter illos fuere, uti BERNOUILLII, EULERUS, D'ALEMBERTIUS, LAGRANGIUS, aliique, qui, ingenii acumine prae caeteris excellentes, quamplurium partium elaborationem simul comprehenderint, aut, ad ipsas absolvendas, magnam quasi materiae copiam suppeditarint. Plures etiam vidimus, qui, omnibus illis aliorum auxiliis adjuti, usum augere, artesque utiles perficere curabant. Nonnulli tandem, variis experimentis, naturam ipsam interrogare, rerumque indolem detegere inceperunt, ut accuratius innotescerent, quae adhuc per hypotheses erant admissa. Id autem iis multis

viris doctis potissimum fuit relictum, qui nostrâ aetate, e physices, chymiaeve uberrimis fontibus haurientes, de doctrinarum progressu aut usu optime sunt meriti, aut quorum laudes nunc etiam, cum vivant, accumulantur. Sic demum, conjunctâ omnium operâ, ingentis circuitûs aedificium constructum est, cujus fastigia, propter fundamenta, haud ullâ vi movenda, etiam atque etiam perduci possunt, quamvis paucis contigat ut eo perveniant, altiorisque exstructionis gloriam adipiscantur.

Sed quaeritis nunc A. A. H. H! quae tandem a recentioribus mathematicis facta sint atque prolata, *quibus industriae artium perfectionem et progressum*, nostro imprimis tempore, *magnam partem tribui debere* contendo. Exempla nimirum desideratis? Adsunt profecto, nec pauca, atque ex horum numero quaedam universe adferam, quorum ratio haud talis est, ut ea, absque disciplinarum mathematicarum, ipsarumque industriae artium exactiori scientiâ, difficilius percipiatur.

Ac primum si inquirimus in causas, quibus plurimarum industriae artium perfecta ratio et insignes progressus tenentur, facile reperimus, — sepositis iis omnibus, quae e temporum morumque necessitate, e commodorum augmento, — ex oblatis occasionibus, atque ex humanae societatis vario statu et diversâ conditione profluunt, — unam esse maximam, nimirum subsidiorum majorem perfectionem et copiam, aut ipsorum artificum fabrorumve meliorem scientiam et majorem peritiam. Ad illa igitur subsidia propius attendamus, quae, si, in nostrum finem, ita definiamus, ut sint ea, per quae conficiuntur sive temperantur variarum artium objecta et subjecta, apparet illa numero esse *tria*, quae vulgo vocantur *machinae*, *instrumenta* et *apparatus*.

Si agitur autem de machinis, qui fit, A. A.! quod hodie tam exactâ ratione subtilique existant, — quod partium forma et mensura, mutuaque ordinatio ita sint designatae, ut teneant, quod sustinere debent, — ut tollant premantve aut ipsae premantur, quantâ opus est vi, nec plus minusve, — ut motus, sive celerrimi sive lentissimi, ac poene cernendi, sive in directum, sive retrorsum, sive gyrantes, sive alio ordine aliâque regione definiti, omnes quidem, justis temporis punctis spatiisque, incipiant, absolvantur et quasi concordent? verbo, quod tanta sit hodie, in hoc negotio, principum artificum scientia

et peritia, ut novas cujuscunque generis machinas, compositione difficillimas, excogitent et comparent, sine eo ut vix dubitent, quin ad finem propositum omnino non idoneae sint futura

Talis ratio A. A.! num, in genere, existere potest, sine geometricâ et mechanicâ scientiâ, quâ rectissime judicemus et statuamus de aequilibrii motûsque legibus, — de virium, quibus machinae aguntur, intensione et magitudine, — de causis, quibus motus impeditur, — de partium formâ, mensurâque et compositione, — de schematibus delineandis et determinandis, — de calculo, interdum difficillimo, instituendo, — denique de iis subsidiis adhibendis, quae non nisi mathematicorum et physicorum experimentis suppeditari possint.

Quid igitur, nisi praecessisset sedulum studium et diligens investigatio, et nisi fuissent praestantissimorum ingeniorum geometrae, quorum curis et indefesso labore, omnium disciplinarum mathematicarum principia firmiter posita et inter se juncta sunt? Immo, eorum pervestigationibus et inventis omnia fere debemus, quibus hodie in artium usum tanta efficiuntur. Etenim, quamvis omnes partes, in quibus recentiores mathematici elaborarunt, haud absolutas nec omnino perfectas accepimus, multaque fuerunt repetenda, confirmanda, addenda et corrigenda, attamen, nisi multa magnaque praesidia in promptu fuissent, tantum praestare, tantumque ad communem utilitatem conferre hujus aevi mathematici numquam potuissent. Jamque hoc multum per se valet, quod, qui praecesserunt, per errores perque incerta progressi sunt, nos autem viam munitam calcamus.

Si porro, ut alterum exemplum adferam, nonnullas machinarum partes, itemque varia instrumenta, nec non quosdam apparatus contemplemur, horum proprias formas et figuras, haud ita fortuito, aut propter ornatum et elegantiam, existere, sed ipsas esse geometricas, ac tales in finem, cui inserviunt, esse debere, persuademur. At statim non apparet, quod nihilominus verissimum est, multas esse inter illas figuras formasve, quae omnino convenire debent cum lineamentis, quae dicuntur *curvae lineae*, cumque concavis et convexis, nomine *superficierum curvatarum* cognitis, quarum omnium rationes et proprietates, a summis praecedentis saeculi geometris,

e remotissimis matheseos fontibus haustas esse reperimus, ita ut, quod parvi momenti et fere in aperto esse videatur, non nisi diligenti pervestigatione, multoque labore, consecutum sit. Eadem in architecturae variis generibus passim occurrere, non opus erit ut de industriâ explicem.

Qui machinas inveniunt aut comparant, illud praecipuum negotium attendant oportet, ut partium varia motûs genera, quâ desideratur regione et velocitate, concinne nascantur, immutentur, et ab aliâ parte in alteram transferantur. Auxilia, quae hunc in finem praebentur, numero haud finita sunt, et pro vario scopo et casu etiam augeri possunt. Uberrimam constituunt copiam, quam, si, conspectu diligenti, bene novimus et aliquantum adhibere didicimus, non difficile est, ex illâ eligere atque desumere, quae ad machinae cujusvis partium ordinatam conjunctionem aut compositionem proprie requiruntur. In hac autem parte quamplures artifices vel maxime excelluerunt, et saepenumero etiam indocti opifices, neque in arte tam periti, ingeniosissima protulerunt; ingenium quippe interdum sine scientiâ multum valet. Sed ejusdem partis insignis amplificatio, latiorque usus, quibus ipsae industriae artes, nec singulorum artificum ingenia, ornatae sunt atque excultae, omnino recentiorum mathematicorum operae tribui debent. Hi enim, postquam varia illa auxilia collegerant, meliorique formâ et habitu induerant, itemque quamplura emendata et nova addiderant, omnem tum magnam congeriem et copiam subsidiorum, in formam systematis redegerunt, in quo, quum ea, quae ejusdem sunt generis, haud disjuncta, sed juxta se posita sint, intelligitur quam facile sit conspicere, quae in promptu sunt, et eligere, quae optima videntur. Illud igitur systema, illave ratio, tanquam inveniendi modus existit, idemque quodammodo est causa, cur hodie tantorum uitilium inventorum tam multi auctores reperiantur, vel etiam, cur artium subsidia et adjumenta, brevi tempore, tam insigniter increverint.

Quartum habemus exemplum, si machina apparatusve aut constructio quaedam delineatione erit designanda, id est, si ejusdem objecti ichnographia exactissimis lineamentis erit describenda. Ut enim diversae partes, quae recedunt, quae prominent aut penetrant, quaeque diversimodo curvata et concavata sunt,

facili quidem nec longa ratione, nec diffuse, attamen intelligentiae et imitationi satis apte et exacte in plano exprimantur et exponantur, perverse agitur, si, quemadmodum fit in arte graphicâ, *dioptrices* principia et theoremata adhibeantur. Namque simpliciori, sed eâdem exactiori, arte opus est, quam quisque artifex, aut ichnographiae auctor, etsi picturâ aut arte graphicâ non sit peritus, dummodo geometriae principiorum haud sit ignarus, facili exercitatione discit. Per hujus artis principia omne id, quod schemate designare velimus, revera quasi *geometricâ descriptione* exprimitur, tali quidem modo, ut omnium partium habitus, juxta-positiones, diversissimae formae, justaeque mensurae et symmetriae, aeque bene sint cognoscendae, ac si ipsam machinam aut apparatum, aut alius generis objectum, ante oculos habemus, et manibus prendere ac dimetiri possumus. Ejusdem artis fundamenta antiquitus jam aderant, sed a recentioribus demum mathematicis exstructa sunt, qui bene perspexere, quanti foret momenti, quantique fructus in communem utilitatem redundarent, si artifices aut inventionum auctores, eruditioresque fabri, talis artis subsidiis se munirent. Itaque curas omnes omnemque operam impenderunt, in ejusdem artis principia ac praecepta emendanda et amplificanda, eoque pervenerunt, ut novam prorsus doctrinam condiderint (*), alterum inveniendi instrumentum praebentem, quo artium subsidia quam maxime perfecta et aucta sunt.

Ut absolvam, quae huc pertinent, aliud negotium insuper est commemorandum, quod hodie, in machinarum aut apparatuum constructione, tum etiam in architecturâ, summi momenti habetur. In varia etenim designatione, quam consideravi, non modo judicandum est de constructionis idoneâ ordinatione, verum etiam de partium exactis dimensionibus erit statuendum, quam latae et crassae, qualisque formae aut figurae esse debeant, ut sint satis fortes firmaeque et tenaces. Multum enim non modo refert, si materia, e qua constant, gravissima est, ut sint solidissimae et firmissimae, at etiam, ne, propter ponderis molem, multo sint fortiores, quam quidem desideratur. Hoc autem ut exactissime definiatur, vario plerumque opus est calculo, quem quidem haud ita facile institueremus, nisi recentiorum mathematicorum

(*) Geometriae illam partem significare velim, quae nomine *Geometriae describentis*, distinguitur.

assiduis curis et commentationibus via nobis munita fuisset. Quam enim quaestionem de *solidorum resistentiâ* enucleare tentaverat summus GALILAEUS, quamque illustrissimus LEIBNITZIUS haud feliciori successu consideraverat, ea theoria porro a BERNOUILLIO illustrata, imprimis autem ab EULERO, posteaque a LAGRANGIO pertractata, adhibita ac paene absoluta est, ita ut eruditissimis hujus aevi mathematicis nihil restiterit, quam multiplicibus experimentis complere et suppeditare, quod adhuc desiderabatur. Novimus autem, illam theoriam non nisi summâ curâ adhibitâ, nec sine ingeniosissimo calculo, tum etiam, — quod primo obtutu mirum videtur, — per *laminarum elasticarum curvaminis* particularem investigationem, — perfectam fuisse. Quantos igitur in errores induci potuissemus, quantaque subsidia nobis defuissent, nisi praecipuae matheseos partes, ab illis praeclaris mathematicis, pervestigatae et fere perfectae essent.

Nec illud denique est praetermittendum, quod tum recentiorum, cum hujus aevi mathematicorum curâ effectum est, ut quamplurium utilissimarum machinarum, apparatuum, instrumentorum et diversi generis constructionum rationes, ordinationes, fines et mensurae, elegantissimis schematibus et exactissimis descriptionibus innotuerint, et in artium artificumque maximum et multiplicem usum pervulgatae sint. Huic negotio jam operam dedisse videntur quidam medii aevi auctores, disciplinarum mathematicarum haud ignari. Etsi enim eorum scripta, quod ad principia, minus exacta sunt, nihilominus ex illis patet, quantum valet matheseos scientia in machinis instrumentisve, ad artium usum comparatis, dilucide describendis, et ope lineamentorum geometricorum exprimendis. Recentiores verumtamen geometras, quippe eruditiores, et perfectiori doctrinâ, et multifariâ artium scientiâ, instructos, hac in re felicius elaboravisse, utilissimaque ita auxilia adtulisse, sponte intelligitur.

Foret quidem nunc satis explicatum, A. A. H. H.! quot quantaque subsidia ex recentiorum mathematicorum commentationibus et pervestigationibus inventisque profluxerint, quibus industriae artes et instituta, splendore ac utilitate, insigniter increverint, nisi ad propositum meum pertineret ut ostenderem, quonam alio modo ex ipsis mathematicorum inventis, quamplurium industriae artium magis perfecta ratio, majorque utilitas, pulcherrime exortae sint.

Et hic etiam permulta exempla adferre possem. Recentiorum etenim mathematicorum multa et eximia scripta pretiosissimum constituunt thesaurum, inventorum plenissimum, quae statim in artium commodum transierunt, aut quae ad meliora instituenda ansam dederunt. Sed brevis sim, ac modo de insignioribus quibusdam commemorem.

Hugenii igitur nostratis illud inventum quaeso reminiscamini A. A. S. S.! quo nullum ejus aevi fuerit praeclarius. Etenim cum multi ante eum frustra tentassent, temporis aequabilem cursum, rotarum lentissime circumactarum motu, exactissime imitari et metiri, detegit ille, et mathematicâ investigatione demonstravit, quo tandem modo, sive per penduli oscillationes exiguas, sive etiam per tenuis elasmatis, in spiram ducti, vibrationes, talis motûs moderatio, quam vocant isochronismon, subsisteret. Horologiorum itaque ordinatione magis perfectâ, subtilis eorum et concinna constructio maximi fiebat momenti. Harum machinarum comparatio cum principiis geometricis et mechanicis niteretur, major artis peritia non modo, sed disciplina quaedam et scientia mathematica desiderabantur, ut ipsi artifices essent peritissimi. Quo factum est, ut postea, et antequam machinarum comparandarum ars maxime esset perfecta, illi artifices, prae aliis, quaererentur, ubi ingeniosa quaedam et subtilis ordinationis machina esset comparanda et construenda. Sic. v. g. pleraeque illae ingeniosissimae structurae, quae ad stamina ducenda subteminaque nenda, ad telas texendas, ceteraque ejusmodi, inserviunt, fortasse haud ita perfectiores existerent, nisi ad eas comparandas, eorundem artificum ingenia et subsidia in promptu fuissent. Itaque illud hugenii inventum, ad artificum ingenia excolenda, artiumque varios usus augendos, maxime contulit.

Horologiorum ordinatio et comparatio, itemque constructio, propter insignem in astronomiâ et in physicâ usum, mathematicis semper maximae fuerunt curae. Hac igitur in parte, simul cum artificibus, multum elaborarunt, et ad eam perficiendam, omnibus usi sunt adjumentis sive auxiliis, quae tum ipsa ars, tum etiam disciplinae mathematicae praebebant. Quaeque in remotiori loco erant posita, aut quae prorsus latebant, diligenti pervestigatione, et, ubi opus erat, exactissimis experimentis, adducta et reperta sunt. Hinc et ipsae disciplinae mathematicae magnum acceperunt incre-

mentum, et ipsa ars omnibus, iisque perfectissimis, adjumentis instructa est. Cumque ad horologiorum partes, tum majores, tum tenuissimas, conficiendas, machinae, ingeniosissime excogitatae, itemque subtilissima instrumenta, desiderarentur, horum inventio si artificibus, at certe perfectio aut ratio, instar geometricorum instrumentorum magis exacta, magnam partem mathematicarum ac physicarum disciplinarum doctoribus debetur.

Sed haec praesidia, omniaque illa unius artis inventa eo nobis praestabiliora apparent, si consideremus, quam multa alia novarum artium subsidia exinde orta et procreata sint. Quis enim ignorat, durissima ac tenacissima metalla, quam facile, sed mirificâ arte, hodie ad multiplices quoscunque habitus et formas, temperentur, fabricentur et quasi fingantur, itemque quam multae machinae, apparatus et constructiones, quae plerumque ligneae erant, nunc sint ferreae, aut e diversis metallis duris excussae et conflatae, quamvis interdum, propter ingens pondus, vix fieri potuisse videatur. Hujus autem novae, hodieque tam perfectae artis prima subsidia, ex illâ subtiliori arte horologiorum conficiendorum omnino desumta sunt. Nimirum, quum versus finem praecedentis saeculi, metallorum, imprimis ferri, perfectior fabricatio prorsus desiderabatur, continuo quamplures machinae et instrumenta adhibitae sunt, ad ferrum perforandum, excavandum, tornandum, poliendum, explanandum, scalpendum, caeteraque, — harumque forma et ordinatio primo nihil omnino differebant ab illis, quibus constabant subtiliores multoque minores machinae, jam dudum, ad horologiorum partes tenuissimas exactissime et subtilissime conficiendas, adhibitae. Ita quidem prodiit utilissima ars, cujus subsidia deinde admodum sunt aucta, quaeque, ob commune variarum artium vinculum, ad alia industriae opera et instituta perficienda, ut et procreanda, causas dedit.

Et simili fere modo commemorari potest, quanta commoda et bona, ex eo orta sint, quod mathematicorum, astronomorum et physicorum maxime semper interfuerit, ut omnia, quae, in scientiae usum, opus sunt adjumenta, i. e. instrumenta et apparatus, maximâ subtilitate et accuratione ordinata essent atque comparata. Quantâ igitur diligentiâ et operâ, tum geometriae et astronomiae, cum imprimis etiam optices, deinde physices studio prodesse

conati sunt, tanto simul etiam labore, omnem instrumentorum et apparatuum conficiendorum artem perficere et amplificare, ipsorumque artificum peritiam et scientiam augere, denique eorum ingenia excolere et ornare, sibi proposuerunt. Et nisi e mathematicorum scriptis evidentissime constaret, quanti sint pretii, quae hac in parte callidissime excogitaverint et pulcherrime invenerint, tamen propter ea, quae supra exposui, non foret dubitandum, quin exinde multi magnique fructus, in artium usum et incrementum, decerpti sint. Quodsi tum etiam opus esset exemplis, quibus probarem et confirmarem, quod ipsi artifices, ita quidem edocti, ac talibus ingenii artisque subsidiis muniti, in artium majorem utilitatem multum praestare valeant, sicut multum praestiterint, nomina retulisse sufficeret quorundam praecedentis hujusque saeculi excellentium artificum, qui per id solum, quod, in mathematicarum ac physicarum disciplinarum usum, multa instrumenta, itemque machinas ad ea conficienda, invenissent, multa etiam nova subsidia variis aliis artibus praebuerunt. Verum et haec praetermittere possem, unumque WATTIUM, celeberrimum illum artificem nominasse satis foret, qui, cum arte suâ et ingenio, tum etiam matheseos physicesque auxiliis summopere adjutus, admirabilem illam machinam, quam *athmicam* vocant, emendasset, perfecisset, et ad usum multo latiorem adaptasset, nomen immortale consecutus est. Etenim novam vim quasi efficaciorem reddidit, et, ejus ope, omnibus cujuscunque generis artibus, maximas vires suppeditavit.

Sic igitur A. A. S. S.! summi praeteritorum temporum mathematici omnes, in diversissimis commentationibus ac pervestigationibus, curas impenderunt, nec ullum laborem difficiliorem aut molestiorem existimaverunt, dummodo incognita, dubia atque incerta innotescerent et in lucem prodirent. Nulla fere res iis fuit ardua, nullumque studium omiserunt aut postposuerunt, donec, quod inquirere sibi proposuerant, invenissent.

Multa itaque adjumenta nobis dederunt; — scientiae fontes indagaverunt et aperuerunt; — errorum vias monstrarunt, aut quomodo detegi et evitari possent, docuerunt. Per eorum pervestigationes et inventa tandem effectum est, ut, quae in variis industriae artibus dispersa, diffusa ac dissipata, itemque rudia et imperfecta quondam fuerunt, nunc sint collecta, integra facta, polita, omnibusque dilucide exposita. Ipsorum autem artificum diligentia

et ingenii calliditas, publicâ admonitione, praemiis expositis, speque emolumenti, etsi plerumque excitentur, tamen incertae et infirmae, nec tanto vigore, existerent, nisi recentiorum mathematicorum investigationibus ac inventis, adjutae et corroboratae fuissent. Multae magnaeque laudes itaque iis omnibus, nostrâ admiratione dignissimis viris debentur, quod tantum effecerint, ut postea variae industriae artes opera et instituta, perfectâ ratione factae sint ornatissimae, subsidiorum copiâ ditissimae, et propterea etiam summo honore habendae et maximo aestimandae, cum contineant ea, quibus ipsa hominum industria, laudabilisque sciendi cupiditas, excitari sive augeri, et salus publica stabiliri debent.

Et si insuper attendimus ad latissimum illud temporis spatium, per quod illi summi ingenii viri, tot tantisque laboribus occupati fuerunt, quo demum grati animi sensu erga eos esse debemus, cum, perpetuâ eorum diligentiâ, tantâ simus instructi doctrinae copiâ, ut, ad quamcunque rem, in artium usum et in communem utilitatem, instituendam, efficiendam aut perducendam, nihil scientiae nobis deesse videatur?

Jam illas, quas hujus diei solemnitas postulat, officii partes laetus liceat impleam. Opportunitatem etenim mihi laetandam video, quâ vobis, PERILLUSTRES ACADEMIAE LEIDENSIS CURATORES! quantas debeo gratias et quam maximas habeo, palam, sed omni quâ decet reverentiâ, significare possim. Utinamque majus et maximum quidem gaudium percipere liceret, si verba nec deessent nec abessent, quibus gratissimi animi sensum, ut par est, dignissime explicarem. Nam quomodo, quamvis, si posset, essem facundissimus, sermone comprehenderem atque perspicue exprimerem, quod benevolentiae et commendationis vestrae favori aequipararem? quae quidem tantae fuerunt, ut maximis me honoribus, quos hodie capesso, REX noster AUGUSTISSIMUS dignum judicaverit. Tanta igitur apud vos de me fuit existimatio, ut, qua sim diligentiâ, doctrinâ aut eruditione, eam tamen haud minorem vel nimis exiguam putaveritis, qua celsam honoris sedem, quam nunc teneo, cum dignitate tenere et cum laude tueri possem?

Quod, cum iterum considero atque perpendo, VIRI AMPLISSIMI! idem me capit atque totum occupat animi timor, quo me affectum fuisse recordor, cum de honorificentissimo munere deferendo mihi inopinato nunciatum esset. Non dicam de mediocritatis conscientiâ, sed muneris gravitatem et antiquam hujus inclytae Academiae famam cogitabam, et omni, quo sunt pondere, ante oculos habebam; — tum imprimis etiam partes explendas forte difficillimas, — studia, per longum intervallum quodammodo remissa, nec sine labore revocanda, — denique insignia mathematicarum ac physicarum disciplinarum incrementa, propter quae, si hodie arduum habeatur, ut quis in aliqua tantummodo parte excellat, aut dignam laudem de disciplinis bene merentis adipiscatur, at multum jam valet, si, in quamplurium partium investigatione, conspicere possimus, quid alii, qui praecedunt, aut inter quos procedimus, indagando efficiunt.

Gravissimum itaque onus sustinere mihi videor, cujus ponderi ne fortasse cedere debeam, una me tenet spes. Namque persuasum habere licet, firmâ et perpetuâ voluntate ac diligenti studio, vires acquiri posse et satis augeri. Sic quidem, cum sit voluntas, nec absit disciplinae meae magnus amor, mihi non erit desperandum, quin, quae doctrinae copiâ et ingenii acumine desint, eadem, bonâ voluntate, industriâ et diligentiâ, aliquantum adaequare aut compensare possim. Sic quidem nihil mihi erit antiquius, nihil honestius, nihil laetius aut gratius, quam, quibus potero viribus, eniti, ut in Academiae utilitatem omnes curas et labores impendam. Sic denique V. V. A. A.! iis, quae de me existimetis, aut quae a me exspectetis, quodammodo satisfacere potero, illamque, quam maximi facio, commendationem, gratus servare studebo. Vos diu incolumes conservet DEUS O. M. quo, sub vestris optimis auspiciis, semper floreat Academia, et splendore ac summâ pro patriâ utilitate, magis magisque eniteat.

Vestrum cum adspicio celeberrimum ordinem, VIRI CLARISSIMI! eodem, quo antea, reverentiae sensu afficior. Mihi etenim olim contigit, ut e vestro ordine multos, quos video, — gaudeoque videre! — praeceptores habuerim et monitores, vel etiam studiorum adjutores. Et ni ita sit, talem attamen reverentiam omnino praestare debeo, cum sentiam, quanta mihi desint, ut,

in vestrum ordinem adscriptus, aemulari possim, idemque adsequi, quo vos cuncti et singuli gloriari posse mihi videmini, — nimirum ut, multifariâ doctrinâ et pulcherrimis ingenii ornamentis conspicui, antiquam hujus Academiae gloriam laudatissime tueamini. Vobis itaque me quam maxime commendo. Utinamque illam mihi condonare velitis familiaritatem et amicitiam, quas vehementer opto, quasque mereri quibusque frui ut possim, semper enixe studebo.

Eadem autem vehementissime oro atque obsecro a vobis, PROFESSORES CLARISSIMI! qui mihi, in disciplinarum mathematicarum ac physicarum facultate, eritis Collegae maxime aestimandi.

Gratissimum igitur semper erit officium, *Clarissime* DE GELDER, qui de mathematicâ disciplinâ tantopere es meritus! et *Celeberrime* REINWARDT, qui Academiae et Patriae existis decus! gratissimum, inquam, mihi manebit officium, ut Vos, quos aestumatissimos habui praeceptores, aut amicissimos adjutores, colere et gratissimi animi testimonia vobis praebere non desinam, quo illa benivolentia, quo illa erga me voluntas haud immutentur, et quo utilissimâ consuetudine, monitisque et consiliis, diutinâ experientiâ comprobatis, etiam atque etiam frui liceat.

Sed Te, doctrinae famâ et magnâ diligentiâ praeclare DE GELDER! Te iterum compellare pietate adducor. Tu, quem praeceptorem habui dilectissimum, et nunc mihi eris carissimus, propter acrtissimam, quae inter nos intercedit, cum studiorum, tum munerum necessitudinem. Tu, scientiae amoris et industriae exemplo, me incitare, tu monitorem esse et vero amicum, diu pergas. Haec ut bene mihi eventura sint, ab OPTIMO DEO benigne concessum iri videtur. Namque tibi senem te esse felicem gratulamur, cui mentis vires integerrimae, idem ac antea ingenii acumen, idem fere vigor. Hoc summum bonum tibi ut largiatur ad extremam usque senectutem, itaque te salvum per multos servet annos, DEUM MAXIMUM, omnibus precibus, ardenter oro.

Nec minus gratum duco officium, ut Vos compellam CL. VIRI! UYLENBROEK et VAN DER HOEVEN. Vos vidi, in curriculo academico, laude cumulatos

praeeuntes; nunc cerno hujus almae doctrinarum sedis laudem et gloriam cumulantes. Maximum igitur habeo illum mihi decretum honorem, quo muneris suscepti quaedam partes vobiscum sint explendae. Ita etiam me magis sublevatum sentiam vestrâ benivolentiâ, tum vero amicitiâ, quâ viam monstrare, ubi opus erit, meque consiliis prosequi velitis. Illud levamem perstet.

Et Tibi, CL. VAN DER BOON MESCH! quem meritae laudes coronant, cum propter ingenii subtilitatem, tum propter scientiae copiam, quae tam Academiae, quam artibus, civiumque magno usui, tantos utilitatis fructus praebet. — Tibi, ex animi mei sensu, affirmare liceat, maxime me gloriari, aequalem te fuisse non modo, verum etiam nunc conjunctissimum mihi existere velle. Tua igitur, quam saepissime expertus sum, comitas mihi erit exoptatissima, tuaque consuetudo mihi erit maxime expetenda. Te amicum, Te socium, Te comitem fore mihi expediet; quaeque praestare debebo, ut et tibi sim conjunctissimus, ea ad gratissima officia referam.

Te quoque, astronomiae LECTOR! VIR DOCTISSIME et EXPERTISSIME! ut in amicorum numero habeam, omnino mihi optandum est. Tuum etenim admiror, magnique facio, singularem astronomicae disciplinae amorem, quo nullum studium, nulla exercitatio, nullus labor, nec crebrae lucubrationes, verbo, qui nihil molestius aut ingratius judicas, dummodo sublimi illi ac divinae scientiae, quâ vita tibi haud carior videtur, prodesse possis. Jam jam hâc tuâ laudatissimâ diligentiâ ac magnâ peritiâ, hujus Academiae utilitati non modo, sed gloriae etiam, egregie et optime consulis. Hanc gloriam ut cumules, utque exinde, quae tibi debentur, abunde emanent, etiam atque etiam spero.

De munere honorificentissimo laudabiliter fungendo dum cogito, dumque officiorum momenta perpendo, Vos omnes, JUVENES PRAESTANTISSIMI, COMMILITONES OPTIMI! mihi perpetuo ante oculos versari, num dubitetis? Propter Vos etenim Academia instituta est. Propter vos, cui docendi provincia est

mandata, omnes curas adhibeat, ut spernet labores oportet, studiique rationem omnem instituat. *Hoc opus, hic labor.*

Quam ob rem, Vobis cum ducem me praebeam, quid boni ducis sit considerare, semper mei maxime intererit. Tum vero non ducem, sed comitem me accipiatis, quo illa adjumenta, quae in vestrorum studiorum gratiam conferre et offerre studebo, maximam mihi referant laetitiam. Tali quidem commilitio utinam haud infelix sit eventus, ut eodem doctrinarum amore et studio juncti et impulsi, ad metam illam contendamus, ubi laudes Vos manent meritissimae, quibus tandem Parentum exspectationi satisfacere, et Carissimae Patriae, quae de Vobis sperat, praebere, quaeque poscit, tribuere poteritis.

DIXI.

JOANNIS FREDERICI VAN OORDT, J. G. FIL.

O R A T I O

DE

VERO IN THEOLOGIA UNICE SECTANDO.

HABITA A. D. XI. DECEMBRIS MDCCCXXXIX.

QUUM ORDINARIAM THEOLOGIAE IN ACADEMIA
LUGDUNO-BATAVA DOCENDAE PROVINCIAM
SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.

QUIBUS HUJUS ACADEMIAE CURA COMMISSA EST VIRI PERILLUSTRES!

ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES CLARISSIMI! COLLEGAE CONJUNCTISSIMI!

QUI IN REGNO, IN REGIONE, IN HAC URBE, VEL REBUS PUBLICIS CURANDIS, VEL JUREDICUNDO PRAEËSTIS, VIRI GRAVISSIMI SPECTATISSIMI!

EUANGELII NUNCII ET INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM DISCIPLINARUMQUE DOCTORES, CONSULTISSIMI, EXPERTISSIMI!

HUJUS ACADEMIAE CIVES, JUVENES LECTISSIMI!

QUOTQUOT PORRO ADESTIS, CIVES AUT HOSPITES, CUJUSCUMQUE ORDINIS, AUDITORES HONORATISSIMI!

Est haec temporum nostrorum, Theologiam quod attinet, felicitas, ut ipsa et merito inter scientias doctrinasque recenseri et libere coli excolique possit. Quod a me praedicari nemo quisquam mirabitur, qui reputaverit, quam arctus sit inter utrumque quod diximus nexus. Scilicet defuit nunquam Theologiae honos suus et locus in republica Literaria, imo vero antegressis temporibus principatum diu obtinuit, atque uti alibi ita in Academiis Patriis, in hac ipsa inclyta universitate, civium Leidensium fidei et fortitudinis monumento aere perenniore, ab initio inde celsissimo loco posita, dominabatur fere et haud paucas alias e Musarum choro ministras suas, si non ancillas, habebat. At ipsa haec celsissima domina, aliis dum imperabat, sui juris esse vix dici poterat, quippe certis inclusa finibus, e quibus egredi haud licebat; regum nonnullorum similis, qui summam potestatem in alios exercentes, avitorum morum consuetudinumque servi erant ipsi. Sic, arcto circumscripta spatio et ferrea formarum lorica circumdata, difficulter se movebat, et dum aliae doctrinae omnes progressus in dies faciebant, haec suo fere loco consistere videbatur, atque sic vix scientiis vere ita dictis annumerari poterat, quippe quarum est continue progredi ad majorem perfectionem. Longe alia nunc est rerum facies; nec dolemus profecto, quod aliquatenus de suo trono dejecta, haec, quam profitemur, disciplina non amplius dominetur in caeteras, nec ministras aut ancillas, sed socias eas habeat aequali connubio junctas; est enim simul in libertatem restituta et vinculis soluta; non minus quam aliae libere coli potest et excoli, atque sic pari passu cum hisce progredi ad perfectionem, qua vera sua et nativa dignitate appareat.

Sed haec ipsa in tractanda Theologia libertas uti multis perniciosa visa est,

ita sua natura ansam dedit, ut proderent se varia, diversissima, imo nonnunquam prorsus sibi invicem opposita hominum studia, ut ita alii ab aliis haud parum discrepent, atque alii aliud in Theologia sectentur. In Germania praesertim ante multos jam annos non tantum in varias partes abiere Theologi, sed et hoc postulabatur fere, si quis nomen aliquod et celebritatem adipisceretur, ut aut ipse in peculiari quadam proponendi ratione dux existeret, aut saltem aperte pronunciaret, a quibusnam partibus staret. Universe de Theologis hoc conbuirebatur, in quamnam partem vergerent, cuinam scholae essent addicti, et, qui ibi etiam affuerunt semper, magni viri, nullo partium studio ducti, nec alicujus se sequaces aperte pronunciantes, parum hi a vulgo aestimabantur, et a nullis agniti, ab omnibus, qui sapere audere sibi videbantur, aut tardioris ingenii aut vacillantis animi arguebantur, et syncretismi labe eorum doctrina habebatur infecta. Hujus quidem, dixerim fere insaniae, magnam partem immunem gaudemus patriam nostram, et hac de causa ab haud paucis in aliis regionibus partium ducibus minoris aestimatam; vel sic tamen hic illic crebrescit scholae nonnunquam aut Theologiae cujusdam peculiaris fama; multoque magis universe de oppositis sibi partibus sermo est; alii rationales audiunt, mystici alii, aut orthodoxi et hisce oppositi liberales, in quibus tamen ne veram vocabulorum significationem urgeamus. Hoc maxime rogatur, antiquane quis sectetur an nova?

Quae cum ita sint, haud immerito prorsus de Theologo scire avent, quemnam se profiteatur. Quod si e me sciscitare gestitis, AA. HH.! equidem ingenue profitear; neque enim, cum ex more majorum publice ad vos verba essent facienda, quibus Theologiae in hac Academia docendae provinciam auspicarer, aut tempori aut personae meae aptiorem inveni dicendi materiam, quam quae huc refertur. Aperte igitur coram Vobis dicam, quod sentio; ne tamen aures arrigat quisquam, ut quibusnam partibus me adjungam compertum habeat. Nullis enim addictus esse cupio, atque utut diversa sint hominum, in consideranda tractandaque Theologia, studia; hoc mihi persuassissimum est, in eo quod dicam, me vos omnes habiturum esse consentientes. Frustrane igitur dicam, supervacaneum enim merito habetur id dicere, de quo nemo dubitat? Parcite quaeso, AA.! oratori novorum proferendorum inscio; nec tamen repetere nota agnitaque semper caret momento. Non tantum ad animos conciliandos, sed ad ipsas etiam scientias provehendas,

in memoriam revocare ea, de quibus inter omnes constat, saepius haud parum conducit. Neque sequuntur semper homines id, quod uno ore profitentur omnes. Quid enim eheu! frequentius accidit, quam in agendis tractandisque rebus discedentes videre homines ab ipsis, quae sibi posuerunt agnoscuntque, principiis. Ex hisce est quod declarare gestio, unum hoc, quod omnes sectentur qui Theologiam vere tractare cupiunt. Dicam enim *de vero in Theologia unice sectando.*

Uti autem id quod vos omnes habeam hac in causa mecum consentientes animum addit dicenti, ita multa sunt, quae me perturbant. Ne enim de facultate mea et copia dicendi, quam probe sentio quam sit exigua, quid dicam, variis primum obrutus negotiis fui, distrahendo a rebus nunc gerendis quam ad eas excitando aptioribus; porro per omne fere quod supererat ad cogitandum scribendumque otium, valetudine laboravi, non periculosa, at satis tamen mala ad deprimendam eam ingenii alacritatem, quae ad bene dicendum requiritur prorsus. Vos igitur, AA. HH.! ne exspectetis aurium delicias, quibus hic estis assueti, sed incomtum minimeque facundum oratorem patienter ferte, veri autem amantem et inclytae hujus Academiae prospiciendae studio flagrantem benevolis auribus audite.

Disputatum omni aevo fuit, quid *verum* sit, e quibusnam dijudicetur certis criteriis verum a falso, quaenam pro veris certisque in cognitione humana sint habenda? Generosae sane et homine dignae disquisitiones, dummodo rite instituantur. Neque tamen de hisce exspatiari in animo mihi est, neque etiam gravissimam omnium quaestionum, quid in Theologia Christiana pro vero habendum sit, aut dirimere aut etiam vel digito tangere. Non enim quodnam sit verum illud, quod sectandum, unice sectandum est in Theologia, declarare volo, sed missis hisce, de unice sectando vero dicere. Nec quisquam est, qui si vel accuratam sibi rei ideam repraesentare non valeat multoque minus eam verbis exprimere, non sentiat quidnam universe verum sit. Quid quod ipsis gentium linguis hoc vel non attendenti saepius enunciatur. Ad ipsas res, quae sunt cognitionis humanae objecta, ad earum naturam refertur. Tendit homo ab ipsa pueritia inde varie, pro varia aetate variisque

facultatibus, eo semper, ut res ipsas, quae ipsi objiciuntur, cognoscat prouti sunt, earumque naturam habeat exploratam; sic tendit ad ipsum verum complectendum. Intelligimus hinc, verum esse id, quod convenit cum rerum, de quibus agitur, natura, sive, ut accuratius etiam dicamus, id quod revera est, ipsam rerum naturam, quatenus humanae cognitioni pateat. Prouti enim res ipsae, quae sunt et uti sunt, ab earum specie discernuntur, sic quoque distinguitur verum a falso.

Sic inviti fere undis nos commisimus, quibus, me gubernatore, haud credendam tenuem ratem existimaveramus. Nec tamen frustra eas tetigimus, aut sine ullo lucro inde emergimus. Quodsi enim verum ipsam rerum naturam complectitur, ad omnia omnino pertinet, nec ulla res est, quin e vero habeat suam aestimationem, cuique non verum omne pretium, omne decus, omnem praestantiam conciliat. Quid enim ex hisce restat, si non *sint* res, quae videntur, sed tantummodo *appareant* falsa specie deceptis? Profecto prouti, ut hoc sumam, falsum, quod dicitur, aurum, ne aurum quidem est, et misere fallitur quicumque, splendore aut alia specie deceptus, ejusmodi nummos tenens, thesaurum acquisivisse se putet, ita in omnibus, quaecumque sunt, res se habet. Nulla est hominum scientia, nisi verum sciat. Nulla hominum, gentium, generis humani historia est, nisi quae homines, gentes, genus humanum et res, quae hisce acciderunt, e vero proponit. Quid, quod in fictis etiam narrationibus, in carminibus adeo, in scena quoque, hoc requiritur maxime, hoc demum merito magni existimatur, quod naturam poëtae sequantur ducem, hominesque pingant prouti sunt, et sensus, affectus, mores exhibeant, prouti revera se produnt. Et sic in caeteris omnibus, in iis maxime, quae appetere homine dignissimum est; nulla est beatitas, quin vera, nulla sapientia, quin vera, nec pulcrum est, nisi vere pulcrum, nec bonum, praeter vere bonum, nec sanctum, quod non vere sanctum est. Intelligitis hinc, A. A.! illud verum sectari, de quo mihi dicendum sumsi, hactenus ad omnes quoque hominum res referri; etenim quaecumque appetat, ad quaecumque tendat homo, hoc maxime teneat, ipsam rem esse, quam quaerit, non ejus speciem, aut, uti homines in antro illo Platonis, simulacrorum umbras. Quidquid adeo moliantur, verum sectentur omnes, si attingere velint finem speratam; hoc enim qui negligit, non potest non scopo suo excidere, et inani specie deceptus, post exantlatos labores, veluti alter Ixion,

Junonem, quam cupit, dum attigisse et tenere sibi videtur, nubem amplectitur.

Haec igitur si ad cognitionem humanam referantur, facile videmus, ad hanc sua quidem natura verum pertinere, imo hoc illam efficere; nec enim aliud quid est verum scire et res cognoscere. Huc igitur cum referantur omnes cujuscumque generis disciplinae doctrinaeque, quae hoc suo nomine dignae sunt, singulis id maxime proprium est, quod verum sectentur. Tendunt enim eo omnes, ut rerum scientia homines imbuantur. Hac igitur in causa conjuncti sumus, qui cognitioni humanae promovendae operam damus, quamcumque demum doctrinam profitemur; atque in multis, quibus cernitur omnium scientiarum arctum inter se connubium, non minimum sane hoc est, quod e communi rerum cognoscendarum studio natae, in eundem finem, communi, e quo singulae genus ducunt suum, parenti consentaneum, conspirent, nempe ut verum assequantur.

Itaque id vel hac de causa valet quoque in Theologia, ad quam nunc animum advertimus nostrum. In hac autem cum verum unice sectandum esse pronunciemus, non hoc tantum volumus, ab inanibus speciebus sectandis in ea esse abstinendum, non fictis in ea rebus esse delectandum, neque fallacibus utendum esse argumentis nugosisve ratiociniis, quibus homines circumveniuntur; cavendum esse a falsis, quae sunt et feruntur, opinionibus; nec errores esse sectandos. Haec enim, etsi merito ad argumentum nostrum referuntur, id tamen non exhauriunt, nec veram ejus vim et rationem declarant. Sic enim ea sim dicturus, quae, ut ita dicam, nimis vera sunt, quam de quibus dici, nedum disputari possit. Quis enim tam fatuus est, ut falsum quam verum sequi non tantum malit, sed et pro hoc illud sectandum esse pronunciet? Neque ad infelices istos verba facio, qui tenebras diligunt prae luce. Quod si scientes faciant, operam et oleum perdere summo jure dicitur, quicumque cum hisce disputare, hisce persuadere in se suscipiat. Latius se extendit id, quod indicamus, quam eo, ut non falsa sed vera sequantur qui Theologiam tractent eamque digno modo colere velint. Eo valet, ut omnia in Theologia ad unam veri causam referantur, ut verum unicus sit finis, in quem omnia intendantur. Hoc a Theologo requiri, quod, veri amore atque enthusiasmo quodam ductus, continuo inquirat, ut ipsas res prouti sunt, quatenus fieri possit, plane et penitus cognoscat, neque refriges-

cere ardens hoc studium, neque se ab hoc deterreri patiatur; in omnibus, quae adesse possunt, quaestionibus nil aliud esse rogandum, nisi quid verum sit; unicum hoc esse, ad cujus amussim onnia sunt dimetienda et componenda; neque magnorum nominum auctoritatibus parendum, neque ab his illisve partibus standum, nec quod antiquum aut novum, sed unice quod verum est sequendum esse; ex omnibus, quae allicere solent homines, nil nisi verum esse appetendum. Sic nulli rei nisi vero studere, non nisi quod verum est duci, verum in omnibus ob oculos habere, prehendere, prehensum tenere, pronunciare, tueri, promovere; verbo unum hoc in Theologia esse objectum, quod, intentis viribus, annitamur semper, et a quo nullis rationibus aut invitamentis abduci nos patiamur unquam; hoc est A. A.! hoc inquam, quod volumus, ubi dicimus de vero in Theologia unice sectando.

Hoc autem summo jure a nobis requiri, hoc postulari in Theologia, quippe ipsi proprium, age paucis observemus. Observemus inquam: etenim tam perspicua res est, ut non nisi digito quasi monstrari indigeat, ut omnes eam cernant atque sibi id persuasum habeant. Paucis dico, nam tot rationibus probari res potest, ut dies deficiat et vox, utque vestra, qua me auditis, patientia abuti merito videar, si vel extremis digitis omnes attingere velim.

Atque hic *primum* nobis occurrit ipsum Theologiae argumentum. Quum enim nemo inficias iverit, quo sublimiores et graviores sua natura res sint, de quibus agitur, quo arctiorem habeant cum vera hominis vita et dignitate rationem, eo magis cavendum esse, ne inani specie decipiamur, eo magis enitendum, ut eas cognoscamus prouti sunt, eo magis adeo in hisce verum unice esse sectandum, facile apparet, siquidem ulla in re, in Theologia praeprimis hoc requiri. Anne vero sublimius quid et gravius cogitari potest quam Theologiae argumentum? Agit nam, uti ipsum ejus nomen indicat, de Deo, natura illa supra omnia, quae sunt praeter Ipsum, evecta. Ille est ὁ ὤν, qui vere est; immutabilis Ille, quippe summe perfectus; Ille est ipsa veritas. Nonne igitur natura sua ea scientia, quae ad Hunc relatam se profitetur, ad verum unice refertur? De Hoc indigne cogitare, qui ab omnibus est celebrandus, quid foedius esse potest; indigne autem cogitatur, nisi vere. In Hujus naturam inquirere et aliud quidquam praeter verum sectari, id impium prorsus est et profanum. Quae adeo inanibus speciebus delectatur, scientia,

quae nugosis implicata prodit quaestionibus et definitionibus, dialecticam magis quandam artem, quam veri studium declarantibus, haec quidem Theologia non est dicenda, quippe tanto, in quo haec versatur, argumento indigna prorsus. Tum demum vero suo nomine et dignitate prodit, quando eo unice tendit, ut Deum, summum Illum et verum, non plane quidem, hoc enim non mortalibus, hoc nemini, praeter ipsum Deum, concessum est, sed tamen vere cognoscat.

Sed non sublime tantum et grave est Theologiae argumentum, verum idem prae caeteris arctissime cum vera hominis vita, dignitate, beatitate cohaeret. Versatur enim non in mundo hoc adspectabili, cujus civis in tempus homo est, prouti caetera animantia, cum quibus habet vitam animalem communem, brevi morte finiendam; sed in mundo spirituali, ad quem homo prae caeteris, quotquot sunt in terra, animalibus elatus, sublimiore sua parte pertinet, quo cum superioribus naturis cognatus, imo ad ipsius Dei genus relatus est, in quo vera est hominis vita, non arctis hujus telluris terminis inclusa, sed prae hisce egrediens, sed aeterna. Agit Theologia de religione, de vinculo illo, quo homo cum ipso Deo conjungitur, e quo omnis ejus dignitas et beatitas pendent. Quid igitur? Anne in sublimem illum mundum, in quo omnia vera sunt, penetrare quis sustineat, alio quam veri studio ductus? Anne in hoc contemplando ullus locus concedatur iis, quae ad externum tantum, sensualem pertinent mundum, ut quis sublimes regiones adspicere gestiat et simul humilia sectetur? Anne in iis, quae summi sunt atque aeterni hominibus momenti perinde esse possit, utrum forte inanibus pascamur speciebus, aut in hisce aliud quid quaeratur, quam ut cognoscantur proponanturque prouti sunt? — Sed quid vos interrogo, A. A.! Intelligitis omnes, sublimius non tantum sed et sanctius, et cum omni hominis salute arctius copulatum esse Theologiae argumentum, quam in quo versari quis rite possit qui aliud quam verum sectatur.

At ex eodem argumento, nimis sublimes res esse, de quibus agit Theologia, quam quas humanum ingenium assequi possit, adeoque sectandum esse, quod non attingendum est, quis dicat. Quis enim mundum a sensibus remotum perspiciat, quis Deum noscat? Fatemur, plane cognoscere mundum spiritualem datum nobis non esse: uti enim varietas ad mundum adspectabilem, ita infinitum ad mundum spiritualem pertinet; nec Deum quis unquam animo

teneat. Sed aliud est rem perspicere, aliud verum in ea videre. Nec negamus, nullam fore hominis de Deo cognitionem, nisi Ipse, quem nemo vidit aut videre potest, se nobis spectandum praebeat. At vero hoc ipsum *novum* conciliat iis, quae dico, momentum. Pro infinita sua benignitate, vult Deus, ut Ipsum, et vinculum, quo cum Ipso conjungimur, vere cognoscamus. Etenim se patefecit in ipsa rerum natura, cum adspectabili ea; nam, uti Paulus ait, quae corporis oculis cerni non possunt, aeterna Dei vis ipsaque divina ejus natura, inde a mundo condito, in iis, quae creavit, intento mentis oculo conspiciuntur; tum interna ipsius hominis, quem ad sui imaginem informavit, ut ex se ad auctorem suum escendat. Patefecit se in ipsa generis humani historia, quae agentis atque se declarantis Dei ejusque ad homines rationis egregium praebet et nunquam satis exploratum spectaculum. Ubi a vero in rebus divinis aberrarent prorsus mortales, variis Ipse usus est opportunitatibus, quibus se cognoscendum praeberet, atque ad veritatem hominum mentes animosque converteret. Sed majus quid dicendum habemus. Tanta fuit Summi Numinis cura, ut vere Ipsum cognosceret hominum genus, ut filium Ipse suum e coelo dimitteret, qui, ut homo inter homines vivens, imago esset ipsius invisibilis Dei; ipsam Hic divinam naturam, quatenus hominibus hac in terra cognosci possit, exacte referebat, ut qui ipsum viderit Patrem vidisse dicendus sit; atque simul perfectam exhibuit hominis speciem, et conjunctionis Deum inter et hominem absolutum praebuit exemplar. Quid igitur? Si ita Deus omnia facit, ut Ipsum cognoscamus prouti est, anne in Theologia aliud quid quam verum sectandum esse putemus? Nonne in eo omnis industria ponatur, ut ad veram hanc cognitionem perveniamus? Quodsi Paulus nullam excusationem iis esse dicat, qui, cum Deus in rerum natura se patefecerit, id quod verum est perversitate sua subegerant, atque suis indulgentes cupiditatibus, vana sua sapientia superbientes, veritatem in rebus divinis reliquerant permutaverantque; quid quaeso cogitandum putatis de eo, qui cum Deum vere cernere, resque divinas uti sunt conspicere possit in Jesu Christo, Dei filio, in Theologia aliud quidquam sectetur praeter verum?

Jam in eo sumus ut ad sanctissimam nostram religionem animum advertamus, ad cujus rationem, quis neget, totam Theologiam esse componendam. Est vero religio Christiana ad verum tota composita. Ignorantes dum essent homines et vana sectantes, Deus, praetermissis ignorantiae temporibus,

Euangelio nunc omnibus denunciat, ut ab inanibus speciebus simulacrisque se convertant ad Deum, τὸν Ζῶντα, prouti est. Ipse Christus lux est mundi, qua res vere cernantur, per ipsum veritas est. Huc natum se ait, huc in mundum ingressum, ut veritati suffragium conciliet. Dei nomen, id est Deum qualis est, hominibus palam facere, hos est negotium, quod peregisse se dicit, ut sic homines habeant vitam aeternam in eo, quod cognoscant Deum, τὸν Ἀληθινον, per Jesum Christum, quem misit. Ille est via, qua ad Patrem coelestem homines unice perveniunt, sed haec est, quia ipsa veritas. Quaecumque dicit haec omnia ad verum refert. *Spiritus* ille, qui in Christo erat, quemque suis largitur, ut vere vivant, est *Spiritus veritatis*, qui in omne quod verum est ducit. Nil carius, nil antiquius habet, quam sui sint divinae veritati consecrati. Quid quod verum non velle, verum deserere, ad Diaboli naturam refert, atque hos demum suos sequaces agnoscit, qui indole sunt ad verum conversa? Sed quid plura? Sufficiant nobis haec ,ex ipsius Jesu, unici doctoris et magistri, ore hausta, ut agnoscant omnes, totam religionis Christianae rationem ad verum unice esse relatam, adeoque et in Theologia nostra, quippe ad hanc religionem pertinente, atque inde, si rite se habeat, originem suam et naturam repetente, verum unice esse sectandum.

At insurgere in me ita pronunciantem videntur mihi non ii tantum, qui a vero in Theologia sectando magis minusve alieni sunt, et aliis studiis se trahi patiuntur, verum et generosi illi, qui religionis adeoque et Theologiae Christianae indolem et rationem optime tenent tuenturque, verum *sectandum* esse in Theologia toto animo mecum confitentes, aegre vero ferentes, quod hoc *unice* sectandum pronunciem. Natura sua, sic inquiunt, ad animum magis quam ad mentem religio pertinet; neque profecto is est religionis Christianae finis, ut veris notionibus imbuantur homines et omnia, quatenus possint, rite sibi habeant perspecta: ad sublimiora longe tendit; practica ejus est ratio, neque quid sciant homines, sed quonam sint animo, quid velint, quid agant maxime spectat. Renovetur per ipsam homo; ab humilibus et terrenis ad sublimia et coelestia, a peccato ad sanctitatem, a mundo ad Deum, a dominante sui studio ad amorem convertatur, atque ita ad veram vitam, eamque aeternam simul et beatam, ducatur. Sic demum apparet nativa Christianae religionis interne in ipso homine residentis in eumque agentis vis et praestantia. Itaque Theologi est, non in cognoscendis rebus haerere, aut

summum studium, nedum, unicum in dignoscendo vero et falso ponere, sed ad hoc Euangelii consilium omnia sua conferre. Longe igitur absit, ut verum Theologo unice sectandum sit; bonum potius sanctumque unice sectetur qui ad Christianae religionis rationem se componere velit.

Audio, A. A.! atque annuo hisce, qui indolem finemque religionis bene cepisse hactenus haud immerito videntur. Sed longe abest tamen, ut nos conturbet eorum oratio; contra vero, quae bene ab iis dicuntur novam argumento nostro conciliant auctoritatem. Non hoc volumus quidem, ut Theologus in variis, quae ad Theologiam pertinent, disciplinis in omnibusque, quae esse possunt, quaestionibus, levioris etiam momenti, indaganda exacta quatenus possit veritate omne tempus terat, omnem operam collocet, et negligat hominum saluti et ecclesiae οἰκοδομῇ prospicere; sua tamen natura ad cognitionem refertur Theologia. Neque negamus, uti Christianae religionis, ita et Theologiae finem in instituendis, emendandis, perficiendis hominibus cerni; sed hic ipse finis declarat, verum unice esse sectandum. Etenim haec unica est institutionis via, haec, quam sequitur institutio Christiana, ut per verum ad bonum ducantur, ut in divina veritate homines sanctificentur. Anne hac de re dubitemus? Undenam Paulus ducit pessimos gentium mores, quos tam graviter perstringit, nisi ex eo, quod verum deseruerint? Neque ad populos Euangelii luce destitutos conferre nos opus est, ut rem oculis nostris intueamur; ipsa ecclesiae Christianae historia multis paginis documenta exhibet retardatae non tantum ex neglecto vero perfectionis humanae, sed etiam vitae pravitatis ex falsis in religione notionibus ortae. Quid quod non historia tantum antegressorum saeculorum, sed ipsa etiam nostrorum temporum experientia haud paucis exemplis declarat, ipsum religionis et sanctitatis studium, mente ad verum intenta non directum, ad pessima quaeque ducere posse? Delirantur adeo qui, quid noscat, quaeve mente complectatur homo, perinde habent, dummodo bene vivat; nam separata conspiciunt, quae indissolubili vinculo juncta sunt. Non nisi vero aditus patet ad vitae sanctitatem. Illustratum esse oportet mentis oculum, et verum videre, ut bonum cernat et sequatur. Dominatur hoc in tota Jesu et Apostolorum institutione; patefacienda veritate ad moralem perfectionem homines ducebant, et humani generis exstitere reformatores, quippe mundo lucem praebentes. Veritas est, uti ipse Jesus ait quae

hominem peccati servum in libertatem restituit. Quid quod ad dignitatem suam et beatitatem eo acrius tendit homo, quo magis habeat suam naturam perspectam; quid quod res divinas eo vehementius appetit, quo magis vera sua forma ipsius menti obversentur; quod Deum imprimis, Christumque quo verius cognoscamus, eo ardentius amamus; quod denique summum illud, ad quod homines elevare tendit Euangelium, similitudinem inquam cum Deo, ne cogitari quidem potest, nisi Hunc, quem intuemur imitamurque, vere cognoscamus, unde haec spes e futuris nobis affulget regionibus: Ipsi similes erimus aliquando, nam Ipsum intuebimur, prouti est. Quae cum ita sint, unicuique perspicuum est, sublimi Euangelii consilio toties quid detrahi, quoties a vero deflectatur, idem vero promoveri eo certius, quo magis ad verum homines accedant; verum adeo unicam esse viam, per quam eo perveniamus. Itaque, quo intensiore studio quis enitatur, ut homines bonos, sanctos, beatos, Christi amore imbutos, Spiritu divino plenos, Deo simillimos reddat, eo sanctius hoc habeat, in Theologia unice verum sectari.

Et nunc, A. A.! spectate munus Theologi augustissimum. Est ille mentis divinae, adeoque summae veritatis, inter hominis interpres. Est ille Christi, qui, ut verum in mundo dominetur, e coelo in terram dimissus est cruentamque subiit mortem, minister. Inter eos est, quos Dominus ille in perpetuum vivens ecclesiae suae largitur, ut haec, quae ipsius corpus constituit, in dies perficiatur, usquedum omnes ad ejus similitudinem maturuerint. Ejus est Christi opus persequi, et sua conferre, ut Spiritu veritatis magis magisque imbuatur hominum universitas. Alios instituere, aliis lucem praebere in rebus gravissimis, aliis dux esse in via ad vitam immortalem, hoc, hoc inquam, ei est commissum. Insistit eorum vestigiis, qui omnia perpeti maluerunt, quam a vero recedere, et veritatis causa vitam ipsi suam amittere haud recusarunt. — Levi penicillo adumbratum habetis praestantissimum simul et sanctissimum munus, sed una videtis, ad verum id esse sua natura relatum, inde habere commendationem suam, atque adeo officio suo deësse, tantoque se munere indignum prorsus praestare unumquemque, cui aliud quicquam propositum est quam unice verum sectari.

Nil novi in medium protuli, A. A.! notissima dixi et ab omnibus agnita;

verum alia pollicitus non fui. Neque tamen momento suo destituta, aut ab iis, quibus nostra quoque tempora egent, aliena haec, ut fidenter pronuncio, existimatis. Est enim haud leve negotium unice verum sectari; ab hoc magis minusve varia ratione et variis de causis haud paucos et nostra aetate videmus deflectentes; nec desunt nonnulla nostris diebus in Patria quoque nostra agitata, quae inde demum dirimenda videntur. Novum campum videtis apertum, spatiosum illum, at levi nunc pede calcandum.

Inest omnino homini veri studium, at eidem haud pauca insunt generoso huic studio contraria. Qui verum unice velit sectari, huic haud paucae superandae sunt difficultates. Magnum, iteratum, nec unquam peractum laborem sibi postulat veri indagatio. Multa sunt inquirenda, multa exploranda, nostraque etiam continue novo examini subjicienda. Profecto facilius est, id, quod semel didicimus, tenere tuerique, quam verum sectari; et late eheu! dominatur in hominibus desidia illa et ignavia laboris impatiens. Accedit quod is qui verum unice sectatur haud raro horum cavillationes, illorum reprehensiones incurrit, odium etiam in se videre potest exarsum, aditum ad ea, quae ambit, praeclusum, et quae alia esse possunt, quae verum unice sectantem concomitari nonnunquam solent, incommoda. Pugnandum praeterea saepius est cum insita hominibus superbia, quae erravisse se difficulter confitetur, aliorumque rectius videntium sententias cum suis permutare recusat; cum multis opinionibus a pueritia inde conceptis, quae propriae jam factae sunt et longa consuetudine quasi sacratae; cum variis denique affectibus a vero abducentibus. Imo vero ea, quae homines, juvenes potissimum, haud parum condecorant, reverentiam puta majorum, venerationem magistrorum, existimationem magnorum virorum, haec ipsa inquam, vero unice sectando ita obesse possunt, ut parum absit, quin cum hisce errare, quam cum aliis vera videre malint. Quae cum ita sint, nil profecto omni tempore gravius inculcandum est Theologis, nil saepius repetendum, quam hanc esse Theologiae rationem, ut verum in ea unice sit sectandum.

Neque sane intempestivam hanc vocem judicabitis, A. A.! cum pericula quae et nostra aetas abunde praebet, ne a vero unice sectando detrahatur Theologus, respicientes, tum praesertim varia in Theologia hodiedum hominum studia animadvertentes. Non desunt, eheu! in sanctissimo munere gerendo, qui auram sectantur popularem, de hominibus ad se trahendis

maxime solliciti, qui quid in regum aulis maxime acceptum, quid magnatibus gratum, quid aevi palato adaptatum, quid sibi proficuum sit, haud parum respiciunt, quos, . . . sed vel bene sentientium ira indigni hi merito habentur. At praeter hos, quot sunt qui partium studio trahuntur, quod ab unice sectando vero quam alienissimum est! Quot sunt veteratores, retrospicientes semper, acsi verum, ad quod accedendum est, praeteritis unice temporibus proprium fuerit, et siquidem possint omnem Theologiam retinentes! Quot e re contraria novatores, quibus satis esse videtur, antiquum quid esse, ut antiquatum idem pronuncient, qui rebus subvertendis aut etiam novi quid excogitando sibi mirifice placent! In hisce nec desunt, qui hoc maxime sectari videntur, ut nomen consequantur famamque, si vel, Herostrati ad instar, sacris omnibus conflagrandis partam, obliti scilicet, facile satis negotium esse idolorum delubra vastare, mortalium vi vero majus esse firmum Dei fundamentum evertere; tantam in causa sanctissima levitatem prodentes, quantam cum genuino veri studio vix ac ne vix quidem consistere queat.

At varii generis homines occurrunt alia quam unice verum sectantes, aut huic studio contraria agentes. Sic sunt, qui mysteria maxime in religione sectantur; quo magis abscondita, quo remotiora ab intellectu dogmata sunt, eo his diviniora videntur, eo acrius ea tuentur, eo magis aegre ferunt, si haec aut tollantur, aut ita explicentur, ut nunc intelligi queant; immemores, mysteria Dei Euangelio esse patefacta; ac diligentiorem pervestigationem verum sectantibus propriam, et hactenus ipsam lucem, fastidientes et vetantes. Alii contra tam plana volunt omnia et clara, ut in rerum superficie haerere malint, quam ad fundum penetrare, metuentes scilicet, ne quid occurrat minus pellucidum, et mysticorum nomine salutantes omnes, qui quid majus subesse suspicentur, quam quod ipsi nudis suis oculis perspiciunt. Quid, quod haud pauci, cujusnam sit sententia, magis attendunt, quam num vera haec sit? Hisce uti accepta sunt omnia, quae ab orthodoxis quos dicunt doctoribus sunt prolata, ita satis esse videtur, si Arii, si Pelagii, si Socini, ne de recentioribus nonnullis hodie in Patria nostra quibusdam exosis nunc dicam, hanc fuisse sententiam comperuerint, ut eandem horreant, et tibi eadem sentienti turpitudinis notam inurant; sic longissime distantes a Theologo vere liberali, qualem tu, Eruditissime CLARISSE! ante hos 25 fere annos egregie adumbravisti, verum a quocumque tandem, vel a pessimo homine,

acceptum, agnoscenti et in usus suos convertenti. Nec desiderantur, inter liberales, qui dicuntur, haud magis puto, quam inter orthodoxòs, qui ubicumque quid profertur cum consueta sibi proponendi ratione minus conciliandum, non ad ipsam rem, sed ad ejus tantum sequelas attendunt; non verane sit inquirentes, sed periculosam eam esse declamantes, ac si verum perniciosum esse possit, et in rem nondum exploratam, tanquam in hostem, tuba clangentes. Sed quid plura? Id satis constat, quo diversiora appareant in Theologia hominum nostra aetate studia, eo severius vindicandum inculcandumque omnibus est hoc, quod diximus, verum in Theologia esse unice sectandum.

Quod vero cum faciendum sit, oportet Theologum liberum esse, nec ullis cohiberi vinculis, quo minus verum in omnibus et unice sectetur. Atque hoc est, A. A.! ex iis, quae nostra aetate sunt, quaestionibus, quibus dirimendis haud parum valere nobis videtur simplicissima illa atque a nemine negata observatio, de qua oratione nostra qualicumque egimus, nempe in Theologia verum unice esse sectandum. Quaeritur scilicet de eo, utrum et quatenus Theologo ea sint sequenda, quae aut ecclesiae Christianae, aut certae cujusdam ejus familiae doctrinam continere dicuntur; utrum et quatenus nostris speciatim Theologis, formulis Patrum memoria sacratis, quibus hi sententiam suam egregie expresserunt, fideliter adhaerendum sit? Profecto ii non sumus, qui parvi faciamus vocem ecclesiae Christi, in qua Spiritus Sanctus servatur vivitque, etsi haud parum saepius cum mundi spiritu conjunctus; aut leviter existimemus de scriptis, iis temporibus confectis, quibus novus ardor in Christiana ecclesia exstitit; scriptis inquam in haud paucis rebus veram Euangelii rationem exprimentibus. Vel sic tamen ex hisce ne aestimetur Theologus vere orthodoxus, id est recte sentiens; hoc quidem nomine is demum dignus esse nobis videtur, qui verum in Theologia unice sectatur. Hoc enim cum Deus et Christus velint, cum muneris sui ratio postulet, non tantum concedendum est ipsi, discedere a majorum sententiis, ubicumque eas minus veras esse deprehenderit, sed et illicitum est prorsus ultra veri modum convenientiam cum hisce sectari. Hîc non minus quam in aliis nil aliud quaerendum est, nisi quid verum sit. Haec est libertas, quam sibi vindicare debet Theologus, nisi primo et primario suo officio desit. Haec ea est, quam ipsa symbola, quae dicuntur, ecclesiae nostrae tuentur, illicitum

pronunciantia, non tantum scripta humana divinis aequiparare, sed etiam ecclesiae consuetudinem veritati, nam veritas est rebus omnibus praeponenda.

Sic igitur intelligimus, quid primum, quid primarium sit in Theologia et in omni re Christiana. Atque hoc quoque nostra aetate observandum tenendumque putamus. Nec desunt enim viri probi verique amantes, iidemque pacis et concordiae maxime studiosi, qui, laudabili hoc studio abrepti, pacem et concordiam, tranquillitatem ecclesiae ut summum bonum considerare videntur. Hoc sectantibus nil magis cavendum videtur, quam pacem turbare; nil optabilius, quam ut sedentur qui exstiterint motus; tranquillitati servandae omni opera enitendum esse, pronunciant, ita quidem, ut parum absit, quin prudentiam hunc in finem collatam ipsi vero sectando praeponere videantur. Nos autem, quantumvis pacis studiosi, ne ecclesiae tranquillitatem summum bonum esse putemus; saepius quietus est status, quippe morti proximus; in ipsis motibus vita conspicitur. Verum in omnibus sectandum est, atque huic vel ipsa pax ecclesiae posthabenda. Hoc enim voluit Christus, qui »ne existimetis,» inquit, »me venisse ut pacem terrae immitterem: non veni pacem immissurus sed dissensiones.» Et sane qualis esset ecclesiae Christianae conditio, si jam pridem conciliandis hominibus magis quam verae Euangelii rationi explicandae et vindicandae Paulus Apostolus studuisset; si magni quique deinceps viri, si saeculo 16° Reformatores pacem ecclesiae turbare metuissent!! At quid plura? Quam voluit Christus, quam sectari debent Christiani omnes unitatem, haec non est sententiarum et opinionum, quarum non potest non esse inter homines sibi cogitantes magna diversitas; sed ejusmodi ut in ipsa hac diversitate, eodem omnes Spiritu veritatis et amoris imbuti sint et ducantur. Huic tam longe abest, ut veri studium obsit, ut e contrario hoc illa postulet, illique promovendae hoc maxime inserviat. Tunc demum inter se vere conspirant Christiani, quando omnes, verum in amore sectantes, perficiantur in ipso, qui totius ecclesiae caput est, gratia et veritate abundans, nempe Jesu Christo.

Perorata est causa, A. A.! Quod enim ad eam pertinere non immerito existimatis, ut etiam quomodo in vero unice sectando versandum sit Theologo declarem, hoc si explicaturus sim, nova proferenda esset oratio. Ne

vero intactum id prorsus relinquamus, haec habetote obiter indicata. Itaque quod ad se suasque notiones attinet, hoc maxime teneat, ipsam veri scientiam esse infinitam, appropinquandum adeo illuc esse semper, quod plene assequi mortalibus non licet; nec absolutum igitur hactenus systema habeat, cui nil detrahi, nil addi velit, quodve immutationes non patiatur; nec in inquirendo, verumque quod repererit in usus convertendo, subsistat unquam. Aliorum sententias aequo animo respiciat, nulli se mancipet, nullam negligat. Nec vastatorum more hoc summum habeat, omnia, quae minus vera in ecclesia Christiana agnoscuntur, demoliri atque subvertere, quo pro imperfectis aedibus nullas habeant Christiani. Potius quantum poterit, adhibitis iis, quae adsunt, purgare, emendare, veriora detegere, atque sic instaurare studeat et perficere. Sane qui verum unice sectatur pleraque, quae aut antea, aut recentius in ecclesia exstitere, in usus suos convertere, atque e diversis, imo plane sibi invicem oppositis sapere potest. Saepius enim in eo hominum errores sunt, non quod verum rejiciant, falsumque sequantur, sed quod unam tantum veri partem respicientes, hanc, neglectis caeteris, urgeant; hinc non per mediam semper viam, ut multi praecipiunt, incedendum est; haec enim, quam tutissimam dicunt, haud raro est a vero non minus quam a sapientia longius remota; sed singulis sibi invicem, ut videtur, oppositis sua jura sunt tribuenda. Cum denique Theologo saepe versandum sit inter homines erroribus et praejudiciis correptos, in veri propagandi studio summo, quod ab eo, qui unice verum sectatur, abesse non potest, magna adhibenda est prudentia, ne scopo suo excidat prorsus. Qui enim homines tenebris assuefactos in plenam collocet lucem, obcoecare hos potest, non vero illustrare; nec quicquam hi magis sibi expetendum sunt habituri, quam ut in tenebras redeant. Ipsorum igitur ingenio se accommodet, tantumque lucis iis affundat, quantum ferre possint. Sic, sole sensim sensimque oriente, dispellentur tenebrae, et vero agnito, sua sponte errores et praejudicia evanescunt. Primarium vero in toto hoc negotio id est, hominum ingenia excolere animosque emendare, quo ipsi verum cernere possint amplectique velint. Magna igitur opera danda est rebus vere proponendis, sed major etiam, imo maxima ponatur in hominibus instituendis, mentis oculo acuendo, animos ad verum convertendo. Sic praeiverunt Apostoli multique alii in ecclesia Christi magni Viri. Sed summum, nemini assequendum, omnibus imitan-

dum, hac in causa exemplum ipse Jesus praebuit. Hunc igitur intueantur, ad Hunc se informent, Hunc, si vel impari gressu, sequantur Theologi omnes; sic ipsi unice verum sectantes, sua conferent, ut Spiritus veritatis augeatur et dominetur per orbem.

Intelligitur hinc sua sponte, quomodo informandi nobis videantur ipsi Theologi ad verum unice sectandum. Ab hoc longissime absunt, qui veris notionibus proponendis inculcandisque omnem operam impendendam esse existimant, ac si id, ut verum unice sectentur, sufficiat; longius etiam qui auctoritate eos ducendos regundosque esse autumant. Docendi omnino sunt, sed multo magis etiam instituendi. Ipsi in res intenti reddantur, ipsi vires periclitentur suas, monstrando, interrogando, eliciendo ex ipsis, verum iis appareat, ut mentis oculis id adspiciant, et sublimi forma adspecta, incredibili ipsius amore incendantur. Hic enim amor omnia vincens primum est et unicum fere, quo verum in Theologia unice sectentur. In ipsis Theologiae scholis hoc agatur, ducesque sint doctores in vero videndo amandoque; at huc praeparati ad illas scholas accedant, nisi frustraneus saepe in hisce labor sit. Opus est προπαιδεία, quam vos tam egregie praebetis. Viri Clarissimi! qui disciplinis, artibus liberalibus, antiquis literis, philosophia praesertim, futuros instituitis Theologos. Haec enim non ad intelligendas lectiones, aut ex utilitate, quae ex hisce in Theologiam redundare potest, unice aut potissimum sunt adhibenda; sed eo in primis valent, ut ipsi homines excolantur, et veri praesertim cum sensus acuatur, tum intensissimus amor excitetur. Quod cum pronunciem cum aliorum, qui mihi contigerunt, praeceptorum, magna semper veneratione prosequendorum, tum illius praesertim imago menti meae obversatur, quem hoc anno literis, philosophiae, patriae ereptum mecum lugent omnes boni. Heusdium volo nunquam ex animo meo eripiendum. Hunc adspicere mihi videor, non doctrina potissimum, sed institutione praesertim sua juvenum sibi amorem conciliantem, atque in eos ita agentem, ut ipsi se excolerent, et pulcri, veri, boni sensus in ipsis acueretur, horumque studium excitaretur ita, ut, in quibuscumque deinceps doctrinis versarentur, hisce ducibus uterentur. Virum laudare nec mei est, nec praesertim hujus loci. Sed hoc dabitis mihi, dicenti de argumento, quod quanta ipsi debeam me monet, ut publice hoc profitendo, gratum ipsius manibus animum significem.

Coram vobis, hujus Academiae Curatores Spectatissimi! mentem meam aperui. Quanto honore id ducam, quod Vos, Viri de republica et de literis tam bene meriti, me dignum censueritis, qui in hac prima et primaria Patriae universitate Theologiae docendae provinciam, susciperem, atque accederem magnis illis nominibus, quae olim hanc literarum sedem condecorarunt, quaeque eandem et nunc ornant, exprimere vix valeo; quantum vero potero, id enitar, ut non prorsus fallam vestram de me meisque studiis sententiam. Non is sum, qui facultate et doctrinae copia cum multis contendere ausim, ut ab hoc parte cathedram nimis diu vacantem dignissime occupatam, aut Clarissimum SURINGAR, virum summa eruditione in pari modestia conspicuum, optime exceptum judicetis. Quod vero praedicavi, in Theologia verum unice esse sectandum, hoc alte infixum pectori habeo, hoc Dei fretus auxilio sequar ipse, huc juvenes Theologiae studiosos informare gestio. Caeterum si qua est in me facultas, hanc muneri meo gerendo, juvenibus ad sanctissimam provinciam instituendis, hujus Academiae saluti promovendae sedulo impendam. Sic me volo vobis commendatum, quos toto animo Deo conservanti omniaque bona largienti ipse commendo, ut vestris auspiciis, floreant res nostrae.

Quum ad vos me convertam, Viri Celeberrimi Collegae exoptatissimi! haud parum turbatum me sentio. Movet me vestra fama meritis acquisita, nec minus tenuitatis meae conscientia, ut verecundus adeo ad vestrum ordinem accedam. Sed accedunt huc alia, quae a me memorari, pro vestra qua estis humanitate ignoscatis, quaeso. Tenet me Collegarum, quos habere mihi in Academia Groningana contigit, desiderium. Hosce enim inter et me tam arcta intercedebat necessitudo, ut eorum consortio privari gravissimum esset, quod in honorifica ad hanc Academiam vocatione conspicerem, quodque ab hac sequenda me fere deterruisset. Itaque, nam fateri haud erubesco, cum Groningam relinquerem, lachrymantes fere discessimus. Ne aegre adeo feratis, vestro adspectu horum in me suscitari recordationem. Sed idem ille adspectus sublevat animum meum ac fere exhilarat; vultus enim intueor infensos nullos, ignotos paucissimos, mihi faventes complures, amicos multos, imo vero nonnullos, quibuscum a juventute inde studiorum mihi fuit et animorum societas, nunc ut spero renovanda tuendaque. Vos igitur eorum mihi loco sitis, quos moestus reliqui. Vos omnes, Viri Clarissimi!

me in ordinem vestrum recipite, benevolentia qua estis complectimini, imo et amicitiam vestram mihi haud denegate. Vestra me ope et patientia indigere sentio, at vero vestro favore indignum me non prorsus praestiturum sancte polliceor. Collegam me experturi estis in multis vobis minorem, animi vero sinceritate, et vero erga vos observantia nemini secundum.

Vobis praesertim me commendo, quibus eorundem studiorum ratione arctius obstringor, Theologorum in hac Academia antecessores! Nec tamen benevolentiae vestrae me commendo; hanc enim jam diu expertus sum; potius auxilium vestrum imploro. Ne consiliis parcite nec monitis, Viri egregii! ut, vestri instar, rem meam in hac Academia bene agam, nec prorsus indignus appaream, qui Vobis, de re Theologica tam egregie meritis, adjunctus sim.

Te cum intuear, Venerabilis CLARISSE! praeterita multa in memoriam revocantur. Juvenem me recordor, in urbe mihi patria, tua jam domo exceptum, et deinde cum in studiis meis tum praesertim in munere ecclesiastico gerendo, fautorem te semper esse expertum. Sed et alia sunt, quae prorsus silere nequeo, et tamen vix tangere audeo, ne paternum refricetur vulnus. Filium tuum cogito, eximium illum, tanto patre dignum, quem quoties reputo, reputo autem quotidie, amici arctissimo vinculo mecum conjuncti desiderium excitatur. Tu novisti mutuum, qui mihi cum ipso intercedebat, amorem; et si quid est, quo superbiam, hoc est, quod tu ereptum tibi filium depingens, cum ipsius nomine, meum nomen honorifice copulaveris. Tu igitur, Vir Gravissime! filii tui amicum amore complecti, et magna tua experientia regere ne recuses; hoc insuper sinas, ut ea te reverentia prosequar, quae patri debetur.

Aliter tu mihi appellandus es, Eruditissime VAN HENGEL! ante hos quinque enim annos ignotus fui tibi, cujus ego famam suspiciebam et laboribus fruebar; sed ab eo inde tempore, quo ecclesiae res nos primum conjunxit, tu favore tuo me prosequi et amicitiae documentis ornare nunquam dedignatus es. Accipe grati animi testificationem pro magna cura, qua et antea, et postquam huc delatus sum, meae utilitati inserviisti, et me te magnifacientem amare perge.

Ecquid tibi dicam, Dilectissime KIST! quocum ab ineunte studio Academico, non sodalitatis tantum literariae, sed etiam amicitiae vinculo fui

conjunctus, quod neque spatio, nec tempore, nec ullis deinceps rebus disruptum fuit aut attenuatum. Antiquum id foedus instaurare et de novo tua frui societate maxime gestio. Huc tu jam omnia fecisti, qui me meosque hospitio tuo excepisti et omnibus meis rebus prospexisti. Gratias tibi et tuis refero, sed multo magis gaudeo, quod nos sanctissimi collegii necessitudo, non mutato animo, ita conjungat, ac si nunquam separati fuissemus. Tibi, Vobis omnibus, Triumviri Venerabiles! devinctum me sentio; vigeat in nobis idem Spiritus veritatis et amoris, quo in Theologiae, Ecclesiae, in hujus Academiae emolumentum conspiremus.

Vos denique appello, Praestantissimi juvenes hujus Academiae cives! Vestrae utilitati inservire curae mihi cordique est. Vos praesertim, qui Theologiae operam datis, cum caeteris vestris praeceptoribus, me quoque adhibete studiorum vestrorum ducem, cui nil antiquius erit quam vobis prospicere. Audivistis meam de Theologia, deque juvenibus ad hanc informandis sententiam. Huic adhaerere, huc omnia mea conferre, ita vobiscum agere cupio. O Me fortunatum! siquidem mihi contigerit, in hac Academia Theologos instituere ad verum unice sectandum. Vos autem et vestram hunc in finem operam impendite. Mentis oculum servate incolumen, acuite, animumque habetote ad verum conversum. Sic mutuo studio conjungentur praeceptores et discipuli. Sic vestro aliquando labore ecclesia Christi, divino Spiritu magis magisque imbuta, laetissima incrementa captura est, in gloriam Dei, qui nos dilexit, et JESU CHRISTI, qui sanguine suo nos redemit!

Tu pater O. M.! votis nostris annuas, nobisque propitius sis per JESUM CHRISTUM Filium tuum.

DIXI.

ORATIO

PETRI HOFMANNI PEERLKAMP,

PUBLICE HABITA A. D. XXI. SEPTEMBRIS MDCCCXXXIX,

QUO DIE VEXILLUM MILITUM ACADEMICORUM

IN SENACULO REPOSITUM EST.

Quodsi, ut in rerum natura agrorum alii segetem, alii fructus, alii uvas felicius gignunt, ita virtutum semina et incrementa a certis locis penderent; amorem patriae in hac urbe et Academia beni nasci augerique contenderem.

Neque ea laus, ornatissimi auditores, here vel nudius tertius venit. Brevi dies illucescet, quo memoria rei celebrabitur, ante ducentos sexaginta quinque annos gestae, sed ita omnium mentibus inscriptae, ut unaquaeque aetas praesens interfuisse videatur. Ingens, ingens reportata est victoria: ac nescio an maxima in omni isto bello Hispanico. Romani gloriabantur die Nolano, quum Imperator Imperatorem, exercitus exercitum posse vinci docuit, et populum post gravissimos casus spe melioris fortunae erexit: exiguam civium manum, discordiis, fame ac peste laborantem, potentissimi Regis retudisse impetum, majus est et magnificentius.

Atque hujus facti gloria quo sensu cives Leidenses imbuerit, vel hinc intelligi potest, quod, quamvis poëtae et oratores in eo laudando Marathonem et Salaminem suam invenerint, sacrorumque librorum interpretes historiam quotannis in templis repetant, nemo tamen invenitur, cui non ita placeat, ut ad eandem obsidionis commemorationem novo semper ardore inflammetur, pueri adeo et feminae exsultent, ipsique senes quasi abjecto annorum torpore revirescant. Circumspicite domos, et libros quaerite, quibus patres familias otium utiliter delectant, invenietis vel in paupere bibliotheca vicinum saepe Novo Veterique Testamento Orlersium vel Severinum. Jam loca suburbana, munimenta, fossas, in ipsa urbe aedes, sepulcra, quidquid cum memoria tertii illius diei Octobris est conjunctum, nemo unquam sine tacita admiratione contemplatur, sordentque prae istis splendidissima regum ac principum palatia. Antiquae chartae, epistolae, manus virorum fortium, ratiunculae, numi, pecunia, tabulae pictae, tapetes, arma, supellex, ceu totidem thesauri a possessoribus servantur. Famem tolerare, quam tale ornamentum vendere, mallent. Fuit, neque is de divitibus, qui cespitem bituminosum, in castris Hispanis inventum, argento includeret, ne corrumperetur: quantumque ornamenti saecula reliquiis istis detraxerunt, tantum pietatis ac venerationis addidisse videntur: neque miror, quum Francus

Berkheyus anno urbis liberatae ducentesimo illud carmen in aede sacra recitaret, dixissetque, primum inimicorum telum, quod in Leidam conjiceretur, suo se capite esse excepturum, unum ex plebe textorem clarissima voce exclamasse: *secundum mihi.*

Atque isti Leidensium sensus, ab initio tam nobili profectus, mansit indelebilis, fuitque nescio qua sanctitate auctus, quum pulcherrimam inusitatae virtutis acciperent mercedem Academiam.

Cui Academiae quod Dousa, Hoogevenius et Houtenus primi praefuerunt, eo tamquam divino omine idem Academiae sensus est ingeneratus? atque ea, suae sibi originis conscia, dignos abhinc sumsit animos, et, postquam in una cum civibus moenia coaluit, mente et opinione ita coaluit, ut ab amore suae sedis ac stirpis proficiscens, patria nihil unquam melius nec dulcius habuerit, diesque Octobris tertius et Februarii octavus omnibus fere natali proprio existimentur sanctiores.

Rideant ista, qui se philosophos esse profitentur, et disputent, non ea tecta neque domesticos parietes neque templa nec similes minutias esse patriam. Mundani a superficie et tignis suam caritatem per omnem terrarum orbem diffundant. Non invideo, sed non sum istorum philosophorum. Cum iis facio, qui, quando inimici nobis ea tigna ereptum veniunt, quando tempora manus poscunt, curiam non verbis replent, sed manus exserunt, et in adversos ire audent: qui faciunt, quod Academia Leidensis semper fecit et faciet universa.

Nihil dicam de vestro ordine, Curatores, Viri amplissimi. Ni una Nordovicis etiam post obsidionem constantia sufficeret, testarer alios, Cornelium inprimis Wittium, dignum Michaëli Ruitero in Thamesi comitem, cui Wittio Academia, jussu Curatorum solemni oratione in hac ipsa aede de tam illustri victoria gratulata est praesenti; testarer Jacobum Wassenarium, equitatui praefectum — neque tuum nomen, Domine Maasdami, generose comes, inornatum a posteritate silebitur.

Neque nostri ordinis homines, Clarissimi Professores, sua se unice toga involverunt, aut oratione tantum et consiliis usi sunt, quamquam et hoc laudabiliter fecerint, ubi non sine periculo esset vigilandum. Sed Melderum adspicite. Quum Ludov. XIV et Carolus II sine causa, et hoc odio infestiore, ad subigendam Neerlandiam conspirassent, et Xerxes ille Francus belli sedem fecisset Ultrajectum, parati stabant Leidenses eum accipere, ut fortissimi

majores saeculo ante acceperant Hispanos. Christianus Melderus, Professor mathematices, agmen adolescentium Academicorum composuit, vexillum a Burgimagistris accepit, suosque milites arma tractare, ordines mutare, vigilias obire, stationem tueri, tanta cum diligentia ac peritia docuit, ut, qui spectatum venissent, etiam veteres militiae, satis admirari non possent. Huic portae Albae et contigui aggeres committebantur defendendi. Non coeli tempestas, non dies noctesque continuatae curae animum frangebant. Ipsae ex Bodegrava et Zwamerdamo surgentes flammae magis incenderunt. Carolus Dematius, Professor Chemiae, proximum a centurione Meldero locum tenens, in armis conspiciebatur.

Neque alios postea, neque Kemperum nostra memoria ullum vitae discrimen deterruit, quominus laboranti patriae succurrerent. Atqui sciebat ille, quid ipsi, si in manus Napoleonteorum militum incidisset, pararetur, et omnium animis ac propemodum oculis saeva inhaerebant supplicia, de duobus sumta, ne seditio plebeia caeteros Leidenses traheret, utque metu in officio ac servitute retinerentur.

Sed, quod in aetatem et munus Curatorum ac Professorum non adeo cadit, armis sarcinisque onustos in agmine incedere, frigus et calorem, famem ac sitim tolerare, hostem in acie adspicere, vulnerare ac vulnerari, trucidare, capere, sanguinem et mortem videre neque tamen animo commoveri, hoc pubi Academicae fuit relictum, neque unquam, si usus veniret, recusatum. Recusatum autem? Imo tam avide semper petitum, ut impetus fuerit retardandus, voluntas nunquam incendenda. A°. 1672 Rector et senatus censuerunt, neminem, ut arma sumeret, esse adhortandum: idque prudenter fecerunt, etiam parentum causa: ingenti tamen numero arma sumserunt. Mussitantes inertem esse urbanam militiam, angusta explicandae virtuti moenia, aegre retenti sunt. Scitote tamen unum cum civibus armatis erupisse. Hic, Cornelius Mina, moribus et egregio literarum studio excellens, contra Francos fortiter dimicans, prope Woerdam, multis interfectis, ipse cecidit. Jacet sepultus in aede Sancti Petri, et, si ipse non exspectet parvum facti monumentum, quis dubitet, quod gratae posteritatis sit officium? Ipse, inquam, si mortui hoc sentiant et curent, non exspectat, neque ea spe atque opinione animae juveniles mortem contemnunt. Dicat ille Pollius, quid ipsum moverit ut Zoutmanno duce in brevibus Asellinis tamquam navita triginta annorum contra Britannos pugnaret? Dicant qui se a. MDCCCXIII, jam labefactata

Francorum tyrannide, cum civibus Haganis et Leidensibus conjunxerunt. Dicant, quum Napoleon Ilva clam relicta, ab illa dominationis arce Parisina pristinum nobis dedecus meditabatur, qui partim in exercitibus nostris, partim suae sibi cohortis socii, ad arma convolarunt.

Dies Waterlous universam patriam gaudio ingenti replevit. Leidae erant, quibus illud gaudium dolore quodam misceretur, quod non interfuissent. Steterunt tamen ad Valencenas et Condeum, et milites Napoleontei, se pro victis haberi indignantes, iramque et vindictam spirantes, vexillum juvenum Academicorum adspicere poteraut.

Vos dicite, optimi et ingenui adolescentes, qui a. MDCCCXXX, quo viri armati, tamquam fratres Cadmei, partu subito ex tellure Neerlanda effundebantur, vitam Academicam cum militari ita atque intra paucos dies mutastis, ut hanc annos egisse videremini. Non erat praedicationis nobilitatisque cupiditas, quae pectora vestra inflammabat. Melior et sanctior ignis intimos sensus et medullas penitus permeabat, amor ille patriae, quem domi quisque cum materno lacte acceptum, in felici hoc urbis et Academiae fundo aluistis.

Et quis vestrum tali tempore patriam non habuisset carissimam, non in mente et oculis tulisset, vitam ei impendere non dulce et decorum putasset? Meminimus, et quis unquam obliviscetur, meminimus annos, menses, dies, horas. Sed, ubi arma sunt deposita, de rebus ante actis silere bonum, saltem humanum est, et hodierna comitas ita postulat. Erat tamen in consideratum, tam levi vel potius nulla de causa tantos clamores tollere. Sed inimicitiae cessarunt. Erat tamen injustum ea licentia grassari. Sed pax hodie est cum istis. Erat tamen impium, Regem et populum sic habere, quos habere poterant ac debebant patrem ac fratres. Sed Neerlandi et Belgae hodie sumus vel certe fiemus amici. Sed , auctores turbarum, auctores dico, commiserunt, quo sol, quamdiu terrarum orbem illustravit, nihil unquam vidit indignius, quod non scaldis, non ipse Oceanus totis fluctibus eluet.

Tali tempore quid quisque sentiret, ipse optime novit, amor autem patriae et indignatio inperabant. Atque hic etiam apparuit, quam mala consilia consultoribus sint pessima. Nos quidem ita fuimus probati, ut non sit. quod nostri nos nominis pudeat.

In qua re quas egeritis partes, neque vestra medestia neque mea consustudo me exponere partiuntur. Spem et exspectationem nostram, ducum vestro-

rum, regis, patriae, omnium vicistis, causamque longe pulcherrimam, quae pro aris focisque, pro libertate, pro tuenda majorum existimatione gereretur, sanguine et vita consecravistis. Macti estote, egregii juvenes, ista virtute. Mercedem pulcherrimam vobis jam dederunt primum vestri mores et conscientia, tum grata rependet posteritas, et nomina vestra conjunget cum nominibus eorum, qui diem Regis natalem isto anno Bruxellis celebraturi fuissent, nisi exercitus potentissimi regis in Europa, Francorum, quibuscum nobis bellum non erat, cursum victoriarum stitisset.

Multa interim accidere dictu mirabilia, hoc inprimis: Intra decem dies maximam Belgii partem cum exercitibus nostris pugnando cepistis: decem propemodum anni in componenda pace perierunt. Composita est. Rex voluntarios dimisit, eorumque vexilla ibi reponi jussit, ubi memoria tantae laudis maxima cum dignitate conservaretur. Cujus rei ut testes essetis, vos hodie in hanc aedem convocavimus. Ergo primum audite sententiam decreti Regii:

Guilielmus, Dei gratia Rex Neerlandiarum, Princeps Arausiae et Nassaviae, Magnus Dux Luxemburgi, caet.

Quandoquidem, quum die 5 Octobris 1830 ad arma vocabamus, ingens Neerlandorum multitudo ardore inusitato et eximia fide, relictis focis, voluntarii ad nostram auctoritatem tuendam et defendendos fines patrios confluxerunt, iique voluntarii, rebus mutatis, jam ab armis plane dimitti possunt, omnibus pro generosa ac nobili opera gratias agimus solemnes. Vexilla adolescentium Academicorum reponentur, ubi Curatores et Senatus Academicus rei bene gestae memoriam fore quam honorificentissimam arbitrabuntur. Hagae comitum die XI Junii a. 1839, regni nostri vigesimo sexto. —

Quare senatus amplissimus vexillo vestro senaculum Academiae sedem destinavimus perpetuam. Quod igitur B. F. F. Q. S. I signifer, et Pro-Rectorem Magnificum sequere.

Factum est, Curatores amplissimi, vosque Professores clarissimi, quod decrevimus. Executi sumus decretum Regium, eo, quem nos et adolescentes

istos decere putabamus, ritu, antiquo, Leidensi et Academico, sine pompa et ostentatione, intra domesticos parietes et tamquam in sinu familiae. Delectentur, qui velint, ornatus conspicui elegantia et copia, tubisque et tympanis per vias et fora celebrent, quod bene factum putant: nostra nobis simplicitas sat est, eamque, ut a majoribus quasi per manus traditam accepimus, ita nostris nepotibus rursus trademus incorruptam. Sic Leida crevit, crescetque, et per invidiam et calumnias major in dies pulchriorque efflorescet.

Neque adeo vos, egregii adolescentes, opinioni huic nostrae innutriti, mirari potuistis, cur vos in hanc aedem sic acceperimus. Quacumque oculos circumfero, hic suggestus, ista subsellia, parietes, lacunar, testantur antiquitatem. Saeculi elegantiam quaerimus. Nuper nonnulla fuere refecta, sed ut Romani casam Romuli semper reficiebant, ne collaberetur scilicet. Mihi quidem ea religio accidit longe jucundissima, nec, si possem, cum palatio, marmoreis fulciminibus sublimi auroque et argento splendente, mutarem. Quodsi majores nostri fuissent arbitrati, artes et disciplinas ibi maxime florere, ubi externis decorum ornamentis plurimum niterent, non deerant opes, quibus principem Academiam illustrassent. Putabant illi veram animorum factorumque magnitudinem et superbos cultus raro bene convenire et in eadem sede morari.

Rei quidem a vobis gestae non alius magis locus conveniebat. Virtutis ac disciplinae perpetua comes erat modestia. Ea vos ne post victoriam quidem in summa omnium laetitia et laudatione reliquit. Reversi, cum veste militari militem exuistis, nemo amplius cogitavit aut locutus est, quae fecisset, contenti illo aereae crucis insigni, quod ex inimicorum tormentis confectum, quivis expeditionis socius in pectore gestat. Caetera ordinis Guilielmei ornamenta, a Rege oblata, ut inter optime meritos dividerentur, recusastis, ita putantes, suo quemque officio esse functum, factique conscientiam sufficere. Tanti nimirum eratis, si nescitis, in honore non accipiendo, quanti fuistis in merendo.

Hos sensus digne capit haec, quam videtis, aedes. Ad hos ea unice facta et quasi nata est. Quamquam si omittentes, quod oculis cernimus, illud, quod sola mente et cogitatione percipi possit, sequamur, eum hic reperiemus splendorem, qui non ex Ionicis Doricisque columnis, sed talium majorum recordatione nascitur. Me quod attinet, quum cogito, quot quanti ex hoc suggestu verba fecere viri, ab Europa cuncta adspectati, habitique in

omni doctrinarum genere praeceptores, et quae verba fecere, pro amplificandis literarum laudibus, pro gloria ac salute communis patriae, quum reputo auditores Mauritios, Fredericos Henricos, Guilielmos Tertios, aliosque gentis Arausiacae Principes, caeterosque viros honoribus in republica illustres et meritorum fama immortales, quum denique mihi tot adolescentes propono, quorum ibi stantium animus vehementissime ad virtutem amandam fuit incensus, eamque in generosis pectoribus crevisse flammam, ut sedari, nisi adaequata parentum gloria non potuerit: haec igitur si perpendo, eadem illa nostra mediocritas, tamquam si numen aliquod inhabitet, ingentem animo venerationem et quasi sacrum horrorem injicit.

Si igitur vos in consentaneum vestrae virtuti locum excepimus, vexillo quoque eam destinavimus sedem, qua honoratiorem inveniri posse arbitrabamur nullam. Et iste angulus non multum ab antiqua simplicitate recessit, sed aevi vetustate, consiliorum memoria, et ipsa fere proavorum praesentia consecratus est, adeo ut vel adspectus neminem paullo humaniorem non commoveat. Caesares et Reges et potentissimi in Europa Principes, quibus domi deliciarum abunde est, sine conspecto senaculo Leidam non relinquunt. Vidi nuper, ut vetera omittam, Alexandrum Nicolai f. Magnum Russiae Principem, eo vultu intrantem, quasi qui arcem Cremleam intraret, eique tum ostendi fossam, ubi Caesar Petrus in phaselo suo pernoctabat, ut summo mane cum Boerhavio Academiam perlustraret. Niebuhrius, Germaniae ornamentum, hinc ita tacto religione animo discescit, ut domum reversus diu post in Historia Romana scriberet: excepta Graecia et Italia nullum in toto terrarum orbe locum esse doctis hominibus sanctiorem, Leidensi hoc senaculo.

Quod si peregrini ea admiratione intuentur, quid nobis esse animi oportet, considerantibus, hanc sapientiae prudentiaeque fuisse arcem et quasi Capitolium, ubi intonsi patres de rebus gravissimis deliberantes, posteritati semper suae consuluerunt, jus sine provocatione, vitae quoque et necis, dixerunt, suosque fasces nec Regibus nec Principibus submiserunt.

Ex hoc senaculo Europam circumspicientes, in parvam Hollandiam vocare audebamus, quidquid ubique invidendis ingenii et doctrinae laudibus emineret: et Francia, Germania, Britannia, Helvetia, viros suae patriae decora, oculis invitis Leidam migrantes cernebant.

In hoc denique senaculo, iidem illi majores nostri in pictis imaginibus spirare, moveri, vivere adspicientibus videntur. Josephus Scaliger in toga

purpurea, ille e Principibus Veronemsibus et qui comitem nostram Magaritam cognatione attingebat, Boerhavius, 's Gravesandius, Hemsterhusius, quae, quanta nomina! Tum, qui omnium medius conspicitur, ille libertatis Neerlandae et Academiae auctor Gulielmus I, in cujus oculis et vultu prudentia et constantia insident, nobis ab adolescente donatus, qui sua literarum studia tunc absolverat, nunc regnum eo civium suorum amore gerit.

Quodsi unquam oratori campus ad dicendum apertus fuit latissimus, mihi sane hic aperitur. Sed satis dixi, ut intelligeretis, quantum hujus Academicae sedis sanctitas apud omnes vere Neerlandos et praecipue ipsos Academiae alumnos valere debeat. Feci igitur, quod hospites faciunt, qui laudatos et veteres amicos bono vultu et voluntate non inerti accipiunt. Vocavi in aedem, qua vobis in tota urbe, imo Neerlandia, dari poterat magnificentior nulla, atque illud vestrae pietatis monumentum reposui, ubi et plurimum ornamenti acciperet, neque exiguum ipsum adderet.

Anni hodie fere sunt novem, ex quo vexillum illud sustulistis. Reversi, praeter Beekmannum, qui fortiter pugnando apud Behringam cecidit, (*) paucisque amissis, qui vel laboribus confecti peregre vel brevi post domi suum diem obierunt, literarum studia repetivistis. Rerum interea multarum facies est mutata, nec deinceps mutari desinet. Reliquistis Academiam, alter alteri muneri in republica praepositus, alter privata curat, viri estis, non pauci etiam patres familias.

Ita nimirum sese habent cuncta mortalia. Stabile aut perpetuum frustra quaerimus. Unum tamen aliquid in Neerlandia et in hac ipsa Academia est, quod neque temporis diuturnitas neque hominum opinio delebit: quod vires ab annis volventibus acquirit, quod aeternum manebit: omnia enim mutentur, summa infimis misceantur: studium gloriae majorum sancte conservandae et amor Dei et patriae, novo hoc et illustri exemplo consecratus, nullis mutabitur saeculis.

DIXI.

(*) Qui e nostris vulnerati sunt, hi convaluerunt: atque hoc loco, corrigam, quod in annotatione ad orationem anni superioris pag. 95 scripsi. Scripsi autem:

Quod in aliis Academiis neque vulnerati neque caesi fuere, hoc casus et sors belli ita tulerunt. Singulae Academiae, provinciae, duces, milites partem victoriae jure sibi vindicant. Hoc non verum est. Nam et alumni Academiae Groninganae habuere vulneratos.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

in annum MDCCCXXXIX — MDCCCXL *proposita*

RECTORE MAGNIFICO

CORNELIO PRUYS VAN DER HOEVEN.

FACULTAS MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . horâ I.
Medicinam Practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie . . . . XI.
Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Jovis . . . I.

G. SANDIFORT Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . X.
Physiologiam, Anatome comparata illustratam, iisdem diebus IX.
Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore . . III — V.

M. J. MACQUELYN Supellectilem Pharmaceuticam duce Pharmacopoeâ Belgicâ explicare perget, et praecepta Diaetetica tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . VIII.
Praxin Medicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Saturni . . . IX.

J. C. BROERS Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Martis, Mercurii et Veneris . . . . XII.
Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit quotidie . . . . VIII.
Collegio casuali, diebus Lunae, Jovis et Saturni . . . . XII — III.
Operationibus Chirurgicis hiberno tempore, horis dein indicandis.

Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . horâ X.

Medicinam Forensem, die Mercurii et Veneris . . . . . I.

M. J. MACQUELYN et C. PRUYS VAN DER HOEVEN disputandi exercitiis praeërunt, die Jovis . . . . III.

FACULTAS JURIDICA.

H. G. TYDEMAN Encyclopaediam Juris tradet, diebus Martis, Mercurii et Jovis . . . . XII.

Oeconomiae Politicae principia, ad librum Clar. SENIOR, *Grondbeginselen der Staatshuishoudkunde* (Leiden, bij Luchtmans, 1839) docebit, die Lunae . . . . I.
et die Veneris . . . . XI et XII.

Statisticam Patriae describet, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . I.

Juris Mercatorii Belgici, ex novo Codice, Institutiones tradere paratus est.

C. J. VAN ASSEN Interpretabitur libros Digestorum, diebus Martis, Jovis et Saturni . . . . VIII.

Institutiones Juris Civilis Romani, diebus Lunae et Mercurii IX — XI.

GAJI Commentarios Institutionum, et selectos auctorum classicorum locos ad Jus Civile pertinentes, die Veneris . . IX — XI.

Jus Civile hodiernum, diebus, Lunae, Mercurii et Veneris VIII.

Ordinem judiciorum et rem judiciariam privatam cum exercitationibus forensibus, die Martis . . . . X.
et die Jovis . . . . X et XI.

H. COCK tradet Jus Naturale, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . VIII.

Jus Publicum et Gentium, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . X.

Jus Criminale, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris IX.

J. R. THORBECKE explicabit Historiam Juris Romani, diebus Martis, Jovis et Veneris . . . . IX.

Historiam Europae diplomaticam a regno LUDOVICI XIV usque ad Congressum Viennensem, diebus Martis, Mercurii et Jovis . . . I.

Historiam Politicam et Juris Civilis Patriae nostrae, inde a Pace Monasteriensi, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . XI.

Historicam tradet Legis Fundamentalis, cum aliis nostri aevi Legibus Fundamentalibus comparatae, interpretationem, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.

FACULTAS THEOLOGICA.

J. CLARISSE Encyclopaediam Theologicam tradet, diebus Lunae et Mercurii . . . . X.

De Theologia Dogmatica exponet, diebus Martis et Jovis . . X.

Historico-Criticam in Libros quosdam Sacros utriusque Testamenti Introductionem dabit, diebus Martis et Jovis . . . XI.

Exercitia Oratoriae Sacrae moderabitur, aut cum Candidatis Theologiae de Officiis Pastoralibus, ex Apostolorum Petri et Pauli de iisdem institutione, aget die Lunae . . . I et II.

W. A. VAN HENGEL Epist. Pauli ad Romanos interpretabitur, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . VIII.

Rationem Catechismi Heidelbergensis pro populi concione tractandi ostendet, diebus Martis et Jovis . . . . VIII.

De praecipuis Theologiae Dogmaticae capitibus auditores interrogabit, diebus Jovis et Veneris . . . . IX.

Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris V sqq.

Oratoriae Sacrae exercitationibus praeërit, die Jovis . . . I.

N. C. KIST docebit Historiam Ecclesiasticam, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.

Theologiam Naturalem, die Jovis et Veneris . . . . . . XII.

Scriptorum Ecclesiasticorum Historiam Literariam, diebus Jovis et Veneris . . . . XI.

Exercitia disputandi, de quaestionibus argumenti potissimum Historico-Theologici, moderabitur, die Saturni . . . I.

Orationibus Sacris praeërit, die Martis . . . . II.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

C. G. C. REINWARDT Chemiam universam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . horâ XI.
Rei Herbariae fundamenta tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . I.
Plantarum Historiam illustrabit, verno et aestivo tempore matutino, iisdem diebus et Jovis . . . . VII.
Mineralogiae et Geologiae elementa tradet, diebus Jovis et Veneris . . . . I.

J. DE GELDER tradet Elementa Geometriae, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . VIII.
Trigonometriam rectilineam et sphaericam, ejusque usum in Astronomiâ et Arte navigandi, aliisque Disciplinis, provectioribus discipulis explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . X.
Calculum Differentialem et Integralem, diebus Lunae et Mercurii . . . . XII.
Mechanicam Analyticam, diebus Martis et Jovis . . . . XII.
Theoriam probabilitatis, quam vocant, et insignem ejus usum in vita civili tradet, quarum lectionum horas in commodum Auditorum constituet.
Philosophiae Theoreticae et Literarum humaniorum Candidatis Geometriam, et Arithmeticam universalem, initiis repetitis explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . XI.
Partem Theoreticam et practicam Paedagogices, ad disciplinas Mathematicas relatae, futuros Gymnasiorum Praeceptores docebit, horis deinceps indicandis,

P. J. UYLENBROEK Physicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XII.
Arithmeticam Universalem sive Algebram explicabit, die Jovis I.
et Veneris . . . . VII et I.

J. VAN DER HOEVEN Anatomen et Physiologiam comparatam docebit, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XI,
aestivo tempore . . . . X,

Primas lineas Zoologiae tradet, diebus Jovis et Veneris . . XI.
Anthropologiam exponet, diebus Martis et Jovis . . . I.
Animalium fossilium historiam tradet, praemissis Geologiae elementis, die Mercurii . . . . I.
Entomologiam aut aliam Zoologiae partem explicabit diebus et horis dein indicandis.

A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiae doctrinam ejusque in artibus usum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis IX.
Pharmacologiam chymicam docebit, diebus Lunae et Mercurii XII.
Chymiam practicam et experimenta instituendi artem docebit, die Saturni . . . . V — VII.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

J. H. VAN DER PALM, quantum aetas et valetudo patientur, studiis juvenum Academicorum non deërit.

M. SIEGENBEEK Historiam Patriae, ad ductum Compendii, a se editi, enarrabit, diebus Mercurii, Jovis et Veneris . . . . X.
Stili atque Eloquentiae Neêrlandicae praecepta tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Vondelii selecta carmina interpretabitur, bis per hebdomadem, diebus et horis, pro Auditorum commodo, constituendis.
Exercitia oratoria moderabitur, hora, auditoribus commoda.

J. BAKE exponet ciceronis lib. III^tium^ *de Oratore*, ejusdemque *Orationes pro Sulla* et *pro Ligario*, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.
Interpretabitur euripidis *Herculem Furentem*, et platonis *Menexenum* et lib. I *De Republica*, iisdem diebus . . X.
Antiquitates Atticas explicare perget, ordinem secutus libri schoemanniani, diebus Lunae et Mercurii . . . . I.
Scholas Paedagogicas continuabit, iisdem diebus . . . . II.

J. NIEUWENHUIS logicam docebit, diebus Veneris et Saturni . IX.
Metaphysicam, die Jovis . . . . V.
diebus Veneris et Saturni . . . . XI.

Scholas Paedagogicas continuare et Historiam Philosophiae, aut Philosophiam moralem explicare paratus est, diebus et horis Auditoribus commodis.

P. HOFMAN PEERLKAMP explicabit Historiam Universalem, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . . XI.

Interpretabitur Libros I et II AENEIDIS VIRGILII, die Veneris XI.

G. L. MAHNE Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.

Historiam Artium et Doctrinarum studii apud Romanos exponet, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.

J. M. SCHRANT praecepta stili Neerlandi seu Eloquentiae tradet, diebus Jovis, Veneris et Saturni . . . . XII.

Patriae Historiam explicabit iisdem diebus . . . . . . I.

Eloquentiae externae praecepta,

Sacrae Eloquentiae historiam criticam, cum veteris tum recentioris aevi,

Antiquitates Germanicas tradet diebus et horis Auditoribus commodis.

H. E. WEIJERS Sermonis Hebraei elementa tradet, tum Grammaticâ explicandâ, tum analyticis exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis et Mercurii VIII

De iisdem elementis cum tironibus familiariter domi colloquetur, die Mercurii . . . . V — VII.

Litterarum Arabicarum, Syriacarum et Chaldaïcarum initia docebit, diebus Jovis et Veneris . . . . . . VIII.

et diebus Martis et Jovis . . . . I.

Provectioribus explicare perget BIDPAJI Fabulas, a SACYO editas, die Veneris . . . . I.

BAR-HEBRAEI Chronicon Syriacum, die Mercurii . . . . . I.

Iisdem interpretabitur *Chrestomathiam Arabicam*, a Cl. KOSEGARTENIO editam, die Lunae . . . . I.

A. RUTGERS NAHUMI Vaticinia et quartum PSALMORUM librum interpretabitur, diebus Lunae et Martis . . . . . . IX.

Secundum SAMUELIS librum cursoria lectione tractare perget, die Mercurii . . . . I.

Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XII.

J. BAKE et P. HOFMAN PEERLKAMP praeërunt disputandi exercitiis, diebus Mercurii . . . . III.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extraord. ornatus, Numismaticam generalem tradere paratus est diebus et horis quae auditoribus convenient.

F. KAISER, Astronomiam Theoreticam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.

Astronomiam Practicam, iisdem diebus . . . . X.

Artis observandi exercitiis quotidie praeërit.

Si qui sint, Matheseos Sublimioris satis periti, qui theoriam motus corporum coelestium explicari sibi cupiant, horas auditoribus commodas postea indicabit.

Astronomiam quam popularem vocant, tradet die Mercurii, horâ vespertinâ . . . . VI.

Astronomiae primas notitias mathematicas, secundum *Lectiones Cosmographicas* a Clarissimo DE GELDER editas, tradet eodem die horâ vespertinâ . . . . VII.

Singulos suos auditores, ad coelum, tubi optici ope, perlustrandum, aptis temporibus evocabit.

G. G. BRILL, Lector Germanicarum litterarum, aget de GOETHII tragoedia Fausto diebus Martis et Veneris, horâ post meridiem V.

Commilitonibus vero harum litterarum rudibus grammaticam docendis, cum imperitioribus vero legendis facilioribus intellectu scriptis, vacabit horis de quibus convenerit.

G. KNIPPENBERG, Academicus Artis Gladiatoriae Magister, elegantem gladii usum quotidie docebit.

Bibliotheca Academica, Lectionum tempore, diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni, ab horâ XII ad III; Feriarum tempore, diebus Mercurii et Saturni, ab horâ XII ad II, unicuique patebit.

NUMERUS ADOLESCENTIUM

QUI IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

STUDIIS OPERAM NAVANT IPSO DIE 31 DECEMBRIS MDCCCXXXIX.

IN FACULTATE MEDICA.	IN FACULTATE JURIDICA.	IN FACULTATE THEOLOGICA.	IN FACULTATE DISCIPLIN. MATHEM. ET PHYSIC.	IN FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUMAN.	CUNCTUS NUMERUS.
182	272	127	7	40	628

ANNOTATIONES.

In hunc numerum excepti sunt 149, quorum

in Facultate Medica.	32
in Facultate Juridica.	64
in Facultate Theologica.	38
in Facultate Phil. Theor. et Litt. Hum.	15
	149

qui nomina in albo professi sunt, eo tantum consilio ut hic examinarentur, ceterum in diversis Athenaeis versantur.

SERIES
DISSERTATIONUM INAUGURALIUM
IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA
DEFENSARUM

a die IX *Febr.* MDCCCXXXIX *ad diem* VIII *Febr.* MDCCCXL.

1839.

d. 9 Febr. Dissertatio Medica, *de ovariis nec non ovariorum morbis*, defensa a SAMUELE ANTONIO MEERBURG, Lugd. Batavo, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

d. 23 Febr. Dissertatio Juridica, *Quaestiones Juridicae in Jure Rom. et Hod.* publice defensa ab HENRICO VOLLENHOVEN, Amstelodamensi, pro Doctoratu J. U., *magna cum laude.*

d. 7 Mart. Dissertatio Juridica, *de bonorum communionis inter conjuges origine, praesertim in patria nostra,* publice defensa ab ASSUERE SALOMONE VAN NIEROP, Horna West-Frisico, pro Doctoratu Juris Utriusque, *cum laude.*

d. 9 Mart. Dissertatio Philos. Natur. *de arborum silvestrium plantatione*, defensa a JANO WTTEWAAL, Ultrajectino, pro Doctoratu in Math. et Phil. Natur., *cum laude.*

d. 11 Mart. Dissertatio Juridica *de Advocatis*, publice defensa a IOANNE BAPTISTTA HENGST, e pago Boxmeer, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 11 Mart. Dissertatio Theologica *de Aenea Sylvio*, publice defensa a NICOLAO BEETS, Harlemensi, pro Doctoratu Theol., *magna cum laude.*

d. 16 Mart. Dissertatio Theologica *de Columbano*, publice defensa a GUILIELMO CHRISTIANO KNOTTENBELT, e pago Mynsheerenland, pro Doctoratu Theol., *magna cum laude.*

d. 21 Mart. Dissert. Juridica, *de Registris*, defensa a IACOBO GUILIELMO SPRENGER, Medioburgensi, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 23 Mart. Dissert. Jurid. *de Literis Cambialibus universe*, defensa a MARIO HERMANNO ANTONIO LISMAN, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 9 Aprilis. Dissertatio Juridica *de Quaestionibus et Jure Romano*, defensa ab ADOLPHO TIELENIO KRUYTHOFF, Surinamensi, pro Doctoratu Juris.

d. 9 Apr. Dissertatio Medica *de Dysenteria*, defensa a GISBERTO HENRICO MAASDORP, ex Promontorio Bonae Spei, pro Doctoratu Medicinae titulo peregrini, *cum laude.*

d. 16 Apr. Dissertatio Juridica, *de Quaestionibus Juris quibusdam*, defensa ab EUGENIO JACOBO ANTONIO VAN WELY, ex Pago Roosendaal, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 20 Apr. Dissertatio Juridica *de artic.* 291 *Codicis Poenalis*, defensa ab ADRIANO BERTLING EMMEN, Groningano, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 23 Apr. Dissertatio Juridica, *de Fide Jussione*, defensa ab HENRICO VERHOEFF MARITZ, Dordraco Batavo, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 30 Apr. Dissertatio Medica, *de Asthmate Infantili Thymico*, defensa ab HENRICO VAN DAALEN, Amstelodamensi, pro Doctoratu Med., *cum laude.*

d. 30 Apr. Dissertatio Juridica, *de Requisitis justarum Nuptiarum Jure Neerlando*, defensa a GUILIELMO CAROLO CLEMENTE SASSEN, I. F., Sylvaducensi, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 6 Maji. Dissertatio Juridica, *de legali bonorum communione*, publice defensa a CAROLO AUGUSTO VAN DAM, ex Oudenbosch, pro gradu Doctoratus J. U., *cum laude.*

d. 15 Maji. Dissertatio Juridica, *ad locum H. Grotii Introd. ad Juris Holl. d.* I. *part.* 6, publice defensa a BARRETO LYON, Surinamensi, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 17 Maji. Dissertatio Medica, *de Aneurysmatibus in genere*, publice defensa ab HENRICO ANTONIO JOANNE VAN DER HEIDEN, Eindhoviensi, pro Doctoratu Med., *cum laude.*

d. 23 Maji. Dissertatio Literaria, *de Peregrinorum apud Athenienses conditione*, defensa ab HENRICO MARINO DE BRUYN DE NEVE MOLL, Dordraco Batavo, pro Doctoratu Litt. Hum., *magna cum laude.*

d. 30 Maji. Dissertatio Juridica, *de Emancipatione*, publice defensa a NICOLAO EGBERTO ZEEGERS VEECKENS, Indo Batavo, pro Doctoratu J. U., *cum laude,*

d. 31 Maji. Dissertatio Juridica, *de Ludis et Sponsionibus*, defensa ab ANTONIO ISAACO VAN DEINSE, Goesa-Zelando, pro Doctoratu J. U.

d. 1 Junii. Dissertatio Juridica, *de Doctrina Juris Francici circa Probationes*, defensa a MENNONE EBE BAKKER, Sneca Frisio, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 6 Jun. Dissertatio Juridica, *de Successione ab intestato*, defensa a IOANNE LAURENTIO MICHAELE CORNELIO LA MAISON, ex pago Heenvliet, pro gradu Doctoratus J. U.

d. 8 Jun. Dissertatio Juridica, *de Comparatione Cod. Civ. Neerl.* 1837, *cum Cod. Civ. Neerl.* 1830, defensa ab ASSUERO QUAESTIUS, Leov. Frisio, pro gradu Doctoratus, *cum laude.*

d. 11 Jun. Dissertatio Medica, *de emollitione ventriculi*, defensa a BARTHOLDO VAN DER FEEN, Amstelodamensi, pro Doct. Medic., *magna cum laude.*

d. 15 Jun. Dissertatio Literaria, defensa a CAROLO CLEMENTE ELIA D'ENGELBRONNER, Goesa Zelando, *de vi Gymnastices in Rep. Platonis*, pro Doctoratu Litt. Hum., *cum laude.*

d. 15 Jun. Dissertatio Juridica, *de domino agrorum inundatorum*, defensa ab CAROLO CLEMENTI ELIA D'ENGELBRONNER, Goesa Zelando, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 17 Jun. Dissertatio Juridica, *de Causis in quibus Probatio per testes admittitur*, publice defensa a REGNERO OSWALDO BONAVENTURA VERHEYEN, ex pago Boxmeer, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 17 Jun. Dissertatio Juridica, *de Interdictis Jure Romano*, publice defensa ab ANTONIO IOANNE HUBERTO VAN BAAR, ex pago Oirschot, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 18 Jun. Dissertatio Juridica, *de Conditione civili mulieris nuptae Neerlandicae*, publice defensa a GERARDO MATTHES, Amstelodamensi, pro Doctoratu J. U., *magna cum laude.*

d. 19 Jun. Dissertatio Medica, *de Chlorosi puellarum*, defensa a BERNARDO HENRICO ALPHERTS, ex pago Ommeren, pro Doctoratu Med., *magna cum laude.*

d. 19 Jun. Dissertatio Juridica, *de Legibus in Cod. Civ. Neerl. sanctione destitutis*, defensa a BARTHOLOMAEO VAN BERKEL, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 20 Jun. Dissertatio Juridica, *de art.* 209 — 221 *Cod. Poen.*, defensa a FRANCISCO CAROLO AUGUSTO PEITSCH, Indo-Batavo, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 20 Jun. Dissertatio Medica, *de Proprietalibus Camphorae*, defensa a CORNELIO PLOOSTER, Brielano, pro Doctoratu Med., *cum laude.*

d. 21 Jun. Dissertatio Juridica, *de Probationibus Jure Francico et Neerlando*, defensa a RICHARDO LEEUWENHART VAN DEN BOSCH, Londinensi, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 22 Jun. Dissertatio Juridica, *de Divisione Hominum ratione civitatis Belgicae*, defensa a JANO FRANCISCO SCHUURBEQUE BOEYE, Zierizea Zelando, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 22 Jun. Dissertatio Juridica, *de Lege* 22 *Cod. de Administratione Tutorum*, defensa a JACOBO SCHUURBEQUE BOEYE, Zierizea Zelando, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 24 Jun. Dissertatio Medica, *de Lactucario*, defensa a JANO LEDDER, Zaandamo-Hollando, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

d. 24 Jun. Dissertatio Medica, *de prolapsus uteri cura*, defensa a JANO HAREMAKER, ex pago Zaandyk, pro Doctoratu Med., *magna cum laude.*

d. 25 Jun. Dissertatio Literaria, *de Annui Consulatus Utilitate apud Romanos*, defensa ab HENRICO RAULPHO DE BREUK, Harlemensi, pro Doctoratu Litt. Hum., *cum laude.*

d. 25 Jun. Dissertatio Medica, *de Emphysemata pulmonali*, defensa a RAULPHO HOUWINK, Meppela Drenthino, pro Doctoratu Med., *cum laude.*

d. 26 Jun. Dissertatio Medica, *de Historia morborum hoc anno in Clinice observatorum*, defensa a JOANNE PETRO ERMERINS, Zierizea Zelando, pro Doctor. Med., *magna cum laude.*

d. 26 Jun. Dissertatio Medica, *de Cephalotribe*, defensa a PETRO MARINO MESS, Lugd. Batavo, pro Doctor. Med., *magna cum laude.*

d. 26 Jun. Dissert. Juridica, *de Tit.* X, *Lib.* 3, *c. c. de Corporibus Moralibus*, publice defensa a THOMA GRAHAM VAN GORKUM, Hannone Montano, pro Doctoratu J. U., *magna cum laude.*

d. 26 Jun. Dissertatio Juridica, *de Litterarum Cambialium Indossamento*, defensa a PAULO JOANNE LEDEBOER, Roterodamensi, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 27 Jun. Dissertatio Medica, *de Duabus Quaestionibus caet.*, defensa a SAMUELE SARPHATI, Amstelodamensi, pro Doctoratu Med., *cum laude.*

d. 27 Jun. Dissertatio Medica, *de Luis Veneriae Neonatorum Pathogonia*, defensa a JANO ARNOLDO VAN HAMEL, Drusiburgensi, pro Doctoratu Med., *cum laude.*

d. 27 Jun. Dissertatio Juridica, *de Jure Regio Legibus Solvendi*, defensa ab HERMANNO JOANNO GREVEN, Zwolle Transisalano, pro Doctoratu J. U., *magna cum laude.*

d. 27 Jun. Dissertatio Medica, *de Gastritide Rheumatica*, defensa a PHILIPPO JACOBO CAROLO KRÜGER, ex Oude Tonge, pro Doctoratu Med., *magna cum laude.*

d. 28 Jun. Dissertatio Juridica, *de Expropriatione Utilitatis publicae causa*, defensa a JOANNE HEURNIO VAN GALEN, Busco-Ducensi, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 28 Jun. Dissertatio Theologica, *de Ezra Libro Apocrypho vulgo quarto dicto*, publice defensa a CHRISTIANO JACOBO VAN DER VLIS, Ultrajectino, pro Doctoratu Theologiae, *magna cum laude.*

d. 28 Jun. Dissertatio Medica, *de Tetano et Trismo*, defensa a FRANCISCO PETRO NICOLAO VAN HAL, Bredano, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

d. 28 Jun. Dissertatio Juridica, *de Summi Imperii Civilis origine et natura*, defensa ab EDUARDO JOSEPHO HUBERTO BORRET, Silva Ducensi, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 28 Jun. Dissertatio Juridica. *de Judiciis Transisalaniae* defensa a FREDERICO LUDOVICO SCHLINGEMAN, Zwolla Transisalano, pro Doctoratu J. U., *magna cum laude.*

d. 28 Jun. Dissertatio Juridica, de *tit. pandect. de lege Rhodia de Jactu*, defensa a JACOBO GUILIELMO THEODORO VOGELAAR, Indo-Batavo, pro Doctoratu Iuris Romani.

d. 29 Jun. Dissertatio Juridica, *de Mereatura in Patria Nostra ab a.* 1813 — 1838, defensa a FRANCISCO GERARDO ABRAHAMO GEVERS DEYNOOT, Roterodamensi, pro Doctoratu J. U., *magna cum laude.*

d. 29 Jun. Dissertatio Juridica, *de Successione Liberorum Naturalium ab Intestato*, defensa a JOANNE FREDERICO THEODORO VAN VALKENBURG, Harlemensi, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

O

d. 29 Jun. Dissertatio Juridica, *de Poena Carceris*, defensa ab HENRICO FRANCISCO DE COURT, e Pago Groote Lindt Hollando, pro Doctoratu J. U., *magna cum laude.*

d. 29 Jun. Dissertatio Theologica, *de Notione*, Τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν κ. τ. λ. *ex mente Jesu Christi*, publice defensa ab HERMANO HEEMSKERK, Amstelodamensi, pro Doctoratu Theologiae, *magna cum laude.*

d. 29 Jun. Dissertatio Juridica, *de Separatione Bonorum Jure Neerlando*, defensa a PETRO JOANNE JACOBO HOLLINGERO PYPERS, Bredano, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 29 Jun. Dissert. Medica, *de ictero Neonatorum*, defensa a JOANNE CORNELIO CATHARINO GUILIELMO ROLDANUS, ex pago Everdingen, pro Doctoratu Med., *magna cum laude.*

d. 29 Jun. Dissertatio Medica, *de Monstro quodam humano*, defensa a GUILIELMO WALRAVEN NOODT, Leovardia Frisio, pro Doct. Med., *magna cum laude.*

d. 29 August. Dissertatio Juridica, *de Duabus Quaestionibus ex Jure Romano*, defensa ab APOLLONIO VAN RYCK DE GROOT, Demerariensi, pro Doctoratu Juris Romani.

d. 9 Sept. Dissertatio Literaria, *de Polycrate Samio*, defensa a DIDERICO JACOBO VEEGENS, Harlemensi, pro Doctoratu Lit. Hum., *magna cum laude.*

d. 25 Sept. Dissertatio Juridica, *de Matrimonio*, publice defensa a SAMUELE CONSTANTE SNELLEN VAN VOLLENHOVEN, Roterodamensi, pro Doctoratu J. U., *magna cum laude.*

d. 26 Sept. Dissertatio Medica, *de Hydropum varia Specie*, publice defensa ab HENRICO MIRANDOLLE, Hagano, pro Doctoratu Med., *cum laude.*

d. 26 Sept. Dissertatio Medica, *de Rheumatismo*, defensa a PAULLO ADRIANO BERNARDO VAN DIEREN, ex Pago Lissa, pro Doctoratu Med., *cum laude.*

d. 30 Sept. Dissertatio Medica, *de Cystitide*, defensa ab HENRICO GUILIELMO DAAMS, Hagano, pro Doctoratu Med., *magna cum laude.*

d. 2 Octobr. Dissertatio Juridica, *de Vario Genere Administratorum*, defensa a FERDINANDO GERARDO JOSEPHO VAN RYCKEVORSSEL, Silva Ducensi, pro Doctoratu, J. U., *magna cum laude.*

d. 5 Octobr. Dissertatio Medica *de Ventriculi Neurosibus nonnullis*, defensa a JACOBO PETRO ROUX, e Promontorio Bonae Spei, pro Doctoratu Med., *magna cum laude.*

d. 8 Octobr. Dissertatio Medica, *de gastritide*, defensa a PARKINSONE OATES, Anglo, pro Doctoratu Med.

d. 12 Octobr. Dissertatio Juridica, *de Contractu Depositi et Sequestrationis*, defensa a JANO EDUARDO BARTHOLOMAEO LUDOVICO MARITZ, Dordraceno, pro Doctoratu J. U., *cum laude*.

d. 14 Octobr. Dissertatio Juridica, *de Locatione Conductione Famulorum*, defensa a PETRO VAN DEN BRANDELER; Dordraco-Batavo, pro Doctoratu, J. U., *cum laude*.

d. 14 Octobr. Dissertatio Juridica, *de Historia Foederum Angliae cum Francia saeculis* 17 *et* 18, defensa a GUILIELMO RENATO VAN TUYLL VAN SEROOSKERKEN TOT ZUYLEN, Hagano, pro Doctoratu J. U., *cum laude*.

d. 21 Octobr. Dissertatio Jurid., *de Cinganis Sive Zigeunis*, defensa a FRANCISCO RUDOLPHO SPENGLER, Amstelodamensi, pro Doctoratu J. U., *cum laude*.

d. 23 Octobr. Dissertatio Medica, *de Nephorragia*, defensa a GERARDO JOANNE FREDERICO MERZ, Hagano, pro Doctoratu Med. *cum laude*.

d. 29 Octobr. Dissertatio Medica, *de Exanthematibus ad Familiam Tuberculorum Pertinentibus*, defensa a MICHAELE JACOBO KRUYS, e promontorio Bonae Spei, pro Doctoratu Med., *magna cum laude*.

d. 30 Octobr. Dissertatio Medica, *de Erysipelate et Induratione telae Cellularis Infantis recens nati*, defensa ab ABRAHAMO SCHARP, Gorinchemensi, pro Doctoratu Med., *cum laude*.

d. 9 Nov. Dissertatio Medica, *de Epilepsia*, defensa ab HERMANNO GERARDO HEYDENRYCK, Amstelodamensi, pro Doctoratu Med., *cum laude*.

d. 16 Nov. Dissertatio Medica, *de Mudar Sive Calotropi Gigantia*, defensa a JACOBO PIEROT, Lugd. Batavo, pro Doctoratu Med.

d. 28 Nov. Dissertatio Literaria, *de Lysiae Oratione in Nicomachum*, defensa a FREDERICO VERMOOTEN WEYERS, Hollando ex Pago Spaarndam, pro Doctoratu Lit. Hum., *cum laude*.

d. 2 Dec. Dissertatio Juridica, *de Emancipatione*, defensa a MICHAELE BUYS VAN SITTERT, e Pago Soetermeer, pro Doctoratu J. U., *cum laude*.

d. 5 Dec. Dissertatio Medica, *de Splenitide*, defensa ab ELIZABERTHO PYNACKER HORDYK, ex Pago Naaldwijk, pro Doctoratu Med., *cum laude*.

d. 9 Dec. Dissertatio Juridica, *de Mutata a Guil.* IV. *Regiminis forma*, defensa a JACOBO JOANNE TEDING VAN BERKHOUT, Amstelodamensi, pro Doctoratu, J. U., *cum laude*.

d. 16 Dec. Dissertatio Theologica, *de* ΤΟΙΣ ΑΔΕΛΦΟΙΣ *et* ΤΑΙΣ ΑΔΕΛΦΑΙΣ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ, publice defensa ab ABRAHAMO HERMANO BLOM, Roterodamensi, pro Doctoratu Theologiae, *magna cum laude.*

d. 18 Dec. Dissertatio Juridica, *de Historia Introducti Juris Rom. caet.*, publice defensa a GERARDO DE VRIES, A. F., Harlemensi, pro Doctoratu J. U., *magna cum laude.*

d. 20 Dec. Dissertatio Juridica, *de Juribus quae Parentibus Debentur*, defensa a JACOBO ADOLPHO CHEMET, Amstelodamensi, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 21 Dec. Dissertatio Juridica *de Articulo*, defensa a DANIELE CORNELIO VIRULY, Roterodamensi, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 21 Dec. Dissertatio Medica, *de Urina Albuminosa*, defensa a CONRADO KERBERT, ex pago Koog aan de Zaan, pro Doctoratu Med., *magna cum laude.*

1840.

d. 1 Febr. Dissertatio Juridica, *de loco Grotii introd. in jurispr. Holl.* II. *part.* 16*: de iis qui ex Testamento caet.*, desensa a CAROLO BERNARDO LABOUCHERE, Roterodamensi, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

d. 6 Febr. Dissertatio Juridica, *de Quaestionibus Quibusdam ex Jure Civili Hodierno*, defensa ab ELLARDO LAMBERTO JULIO VITRINGA, Arnhemiensi, pro Doctoratu J. U., *cum laude.*

DOCTORES HONORIS CAUSA CREATI.

d. 11 Maji. GUILIELMUS STEVEN, Eccles. Scot. Roterod. Doctor Theologiae.

d. 14 Junii. A. MEURSINGE, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. Doctor.

d. 25 Junii. M. HOOGVLIET, Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. Doctor.

ACADEMIA

RHENO-TRAJECTINA.

NOMINA PROFESSORUM

QUI

Inde a die XXI *Martii a.* MDCCCXXXIX,

usque ad diem XXVI *Martii* MDCCCXL,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

DOCUERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS.

HENRICUS EGBERTUS VINKE.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS.

NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY.

PROFESSORES IN FACULTATE THEOLOGICA.

JODOCUS HERINGA, E. F., propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus: vertente anno Academico mortuus.
HERMANNUS BOUMAN.
HERMANNUS JOANNES ROYAARDS.
HENRICUS EGBERTUS VINKE.

IN FACULTATE JURIDICA.

HERMANNUS ARNTZENIUS, propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus.
JANUS RICHARDUS DE BRUEYS.
ADRIANUS CATHARINUS HOLTIUS.
JANUS ACKERSDYCK, Prof. extraord.
JOANNES MICHAELIS FRANCISCUS BIRNBAUM.

IN FACULTATE MEDICA.

NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY.

BERNARDUS FRANCISCUS SUERMAN.

JANUS ISAÄCUS WOLTERBEEK, vertente anno Academico, honorifice rude donatus.

JACOBUS LUDOVICUS CONRADUS SCHRÖDER VAN DER KOLK.

ALEXANDER CAROLUS GUILIELMUS SUERMAN, vertente anno Academico Professor ordinarius creatus, sub finem vero ejusdem immatura morte extinctus.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

PHILIPPUS GUILIELMUS VAN HEUSDE, vertente anno Academico mortuus.

ANTONIUS VAN GOUDOEVER.

LUDOVICUS GERARDUS VISSCHER.

JACOBUS CORNELIUS SWYGHUIZEN GROENEWOUD.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY.

JOANNES FRIDERICUS LUDOVICUS SCHRÖDER.

JANUS KOPS, propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus.

THEODORUS GERARDUS VAN LIDHT DE JEUDE.

PETRUS JOANNES ISAÄCUS DE FREMERY, Prof. extraord.

RICHARDUS VAN REES.

CORNELIUS ADRIANUS BERGSMA.

LECTORES.

SAMUEL NYHOFF, Linguae Graecae.

GERARDUS DORN SEIFFEN, Literarum Humaniorum.

JUSTUS HENRICUS KOCH, Linguae Germanicae.

GEORGIUS CAROLUS VERENET, Linguae Gallicae.

HENRICI EGBERTI VINKE

ORATIO

DE

RELIGIONIS CHRISTIANAE

IN CONFORMANDIS HOMINUM ANIMIS IISQUE CONSOLANDIS

VI ATQUE EFFICACITATE.,

HABITA

DIE XXVI MARTII MDCCCXL.

QUUM ACADEMIAE REGUNDAE MUNUS SOLENNI RITU

PONERET.

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI, ET QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI! NEC NON LECTORES DOCTISSIMI!

QUOTQUOT PRAESENTIA VESTRA HANC SOLEMNITATEM CONDECORATIS, VIRI PUBLICA AUCTORITATE, DOCTRINAE LAUDE, MUNERUM DIGNITATE, NATALIUM SPLENDORE CONSPICUI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM DOCTRINARUMQUE DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI!

JUVENES, LITERARUM DISCIPLINARUMQUE STUDIIS OPERAM DANTES EXOPTATISSIMI!

CIVES, DENIQUE ET HOSPITES, SUO QUIQUE, LOCO HONORANDI!

Quum Academiae regundae munus susciperem, nihil magis mihi in votis fuit, quam ut, quo die ponendum illud foret, *et* Senatum amplissimum, *et* studiosae juventutis coronam salvam, incolumemque intueri mihi contingeret. Illuxit vero jam ille dies. At qualis? Festusne et laetus? Minime vero; sed luctuosus et funestus. Exacto enim anno Academico vulnera accepimus gravissima, adeo ut, natali hocce die, dolore plane perculsa sit et afflicta Academia. Nam lugemus non tantum, una cum parentibus, cognatis, amicis, mortem quinque juvenum ornatissimorum, PETRI HEYDANI, JACOBI NICOLAI VAN HAEFTEN, MICHAELIS LUDOVICI HUBERTI VAN DER MAESEN DE SOMBREFFE, CORNELII GUILIELMI CATHARINI IMANS et PETRI JOHANNIS DE HAART; sed ex professorum quoque ordine tres viros optimos, eximios, dilectissimos, PHILIPPUM GUILIELMUM VAN HEUSDE, JODOCUM HERINGAM, El. fil. et ALEXANDRUM CAROLUM GUILIELMUM SUERMAN, acerba et inopinata morte, cognatis, discipulis, amicis, Academiae, patriae, orbi denique literario ereptos dolemus. Quid aliis acciderit, nescio, ego vero, cum tristis ille de HEUSDII morte nuntius allatus esset, adeo me conturbatum eo et afflictum esse sensi, ut vix mei compos essem; nam colui et dilexi virum, unum in paucis magnum, vicissimque ab eo colebar et diligebar. Ut igitur ad me redii, continuo cepi consilium, hac opportunitate, copiose de eo dicendi: quod consilium, ut exequi possem, *tum* praeclara viri scripta, maxime palmare illud opus, quod *Philosophiae Platonicae initia* inscripsit, iterum perlegi, *tum* ejus imaginem continue ante oculos mihi posui. Communicato autem forte fortuna proposito cum cl. HERINGA, ille dissuasit, causam addens, quod fortasse alius etiam Professoris, vita defuncti, facienda mihi mentio esset. Fatale dictum! Commotum eo jam tum me esse sentiebam; neque tamen a proposito me abduci patiebar, sperans, fore ut gravissimo

nostro dolori nullus novus luctus adderetur. Postea vero quam alium post alium, cl. NUMANNUM, PARAVIUM, TEXIUM, KISTIUM, GOUDOEVERUM nostrum ei ROYAARDSIUM, suo quisque modo, at omnes pie, juste, praeclare de HEUSDIO narrantes audivi, et cl. ROVERS, discipulum HEUSDIO dilectissimum, optimi praeceptoris, ejusdemque proximi cognati memoriam celebrandi provinciam in se suscepisse intellexi, consilium mutandum esse existimavi. Itaque aliud quaerebam dicendi argumentum ipso illo infausto mane, quo novus tristis nuntius afferebatur, cl. HERINGAM e sommo excitari non potuisse et ex hac terrestri vita excessisse nobiscum communicans. Quo nuntio inopinato quam fuerim commotus et perculsus, dicere vix possum. Nam *et* ille patris instar mihi erat, *et* ego illum, per quinque lustra, colui, dilexi, veneratus sum. Itaque de eo jam dicam? Dicam omnino; nam non modo muneris, sed pietatis etiam officium, ut illius recolam memoriam, a me poscit et flagitat. Cum autem arctiores sint limites, orationi positi, quam ut omnes viri labores virtutesque complectatur, nonnulla tantum de eo narraro potero. Deinde HEUSDIUM silentio praeterire neque licet, nec volo Quid? quod tertium illudque non minus grave et acerbum accessit vulnus, eruditissimi et dilectissimi SUERMANNI obitu Academiae inflictum. Videor mihi etiamnum ex hac ipsa Cathedra, ante hos novem menses, praeclarum huncce virum dicentem audire, quum Medicinae professionem, solenni ritu, auspicaretur, omnibus applaudentibus. Sed ostensus nobis magis est, quam datus, subitoque occidit sol ille exoriens, neque amplius Academiam nostram sua luce lustrabit. Horum igitur virorum, quorum lumine destituti sumus hoc anno academico, recolenda mihi est memoria. Quod ut rite faciam, dicendi materiam quaesivi, quae triumviros hosce praeclaros complectatur valeatque, *tum* ad illos juste celebrandos, *tum* ad nos, in triplici luctu gravissimo consolatione indigentes, confirmandos. Ejusmodi autem materiam invenisse mihi visus sum in divinâ, quam profitemur, religione. Dicam igitur de *religionis Christianae in conformandis hominum animis iisque consolandis vi atque efficacitate* Quod argumentum cum neque a persona mea alienum sit, et sua se gravitate, luctuoso in primis hocce die, magnopere commendet, spero fore, ut attentas benevolasque aures mihi praebeatis.

Ne autem putetis, A A. H. H.! consueta me ratione hoc argumentum expositurum esse et probaturum. Possem illud sane et facerem lubenter;

quippe quod dicendi copiam mihi suppeditaret uberrimam et suavissimam. Nam *primum* quidem explicandum tum foret praeclarum religionis nostrae argumentum; *deinde* vero ingrediendum nobis esset in latissimum, quem historia aperit, campum, in quo fidentius atque alacrius exsultare posset oratio. Sed aliam probandi rationem sequi me jubent rerum adjuncta temporisque opportunitas. Scilicet alteram argumenti partem conspiciendam vobis dabo in triumviris, quorum mortem lugemus, alteram in nobismet ipsis.

Dicendum igitur *primum* mihi est de HEUSDIO nostro. Quo tempore et loco, quibus parentibus natus, quibusque honoribus ab exteris et civibus auctus fuerit, novistis. Itaque et haec et alia, ad ejus fata pertinentia, silentio praetereo, unum hoc probare conans, quam vim atque efficacitatem in eo habuerit Christiana religio. Quod ut rite perspiamus, attendendum nobis in primis est ad maternam, qua puer usus est, institutionem. Nam quod in TIMOTHEO, BASILIO *magno*, GREGORIO *Nazianzeno*, CHRYSOSTOMO, THEODORETO, AMBROSIO, AUGUSTINO, aliisque viris quam plurimis videmus, qui matribus in primis acceptum retulerunt, religionis virtutisque semina, in animo latentia, non fuisse suffocata, sed nutrita et aucta, idem hoc in HEUSDIO observare licet. Narravit hoc praeclare cl. GOUDOEVERUS, colloquium tradens, quod cum ipso habuit de vi atque momento maternae institutionis, in puerorum moribus informandis, hisce praesertim verbis: « tum manu me prehendens, ipse, « inquit, quid matri meae debeam, lubens te coram profiteor. Multa de « Deo, de rebus divinis, de pietate ex aliis audiveram, perceperam pauca. « Praecepta illa me parum, ne dicam nihil, moverant. Cum vero mater « mecum loqueretur de sublimi Dei natura ejusque amore erga homines; « de praentantia religionis Christianae; de virtute et pietate, ea continuo « me cepit, ab ejus ore pendebam, mihique ita persuadebat, ut non tantum « crederem, quae diceret; sed materna illa institutio, per totam vitam, « vim suam exserere perrexerit, ejusque, in hunc ipsum diem, gratus et « pius recorder. » Praeclare, nec minus vere. Repetendum enim hinc maxime est, quod tantopere ei placuerit *philosophia Platonica*. Nam, ipso monente, in eo totus est PLATO, ut studium excitet virtutis et vehementi quodam pulcri bonique amore nos incendat, ut una cum virtute ipsum diligamus philosophum, et quicunque et illum et virtutem diligant. Ad hominem omnis ejus philosophia refertur. Hunc spectat, hujus naturam

indagat, initium ducene ab amore, animo ejus insito, qui amor virtutem spectat, totusque refertur ad pulcri honestique studium et divina gaudet vi, qua evehat mortales homines ad Dei immortalis imitationem et similitudinem. Quae cum ita sint, A. A.! non est, quod miremur, philosophiam hancce adeo eum celebrasse. Habebat fere semper n ore *et* SOCRATEM *et* PLATONEM. Illos summis efferebat laudibus, et quicunque magni eos habere videbantur, hos flagranti prosequebatur amore. In PLATONE igitur legendo et interpretando, a juvenili inde aetate, vitae tabernaculum posuit. Qua in re singulari usus est fortuna, prae praeceptore WYTTENBACHIO, qui primum, quid sibi vellet, quid appeteret, cui studiorum generi se addiceret, non reperiens, diu erravit et ex aliis in alia incerto vagatus est. (1) Quod tamen non ita intelligendum est, ac si caeteros scriptores, poëtas, historicos neglexerit. Legerat eos, Graecos maxime, imo vero insinuaverat se in antiquitatem totam. Orsus est a poësi, ut PLATO, ut CICERO, et maximi quique viri, pulcri puippe studio ductus et NODELLII institutione usus. Sed quae legebat et cogitabat, ea ad PLATONEM suum referebat omnia, quem una cum virtute ac pietate prae caetaris amabat. Testes sunt *cum Specimen* ejus *Criticum in Platonem*, *tum* caetera ejus scripta, in primis laudata jam *Initia*, quo in opere illid egit quam maxime, ut, quod CICERO ait, ex ipso PLATONE, quasi quodam sancto augustoque fonte, omnis ejus manaret oratio, (2) et *Schola Socratica*. Ita ille PLATONIS studium maxime provexit, imo vero, quod WYTTENBACHIUS jam de eo vaticinatus fuit, et in quo omnes justi rerum arbitri consentiunt, PLATONIS factus est Sospitator, ejusque philosophiam explicuit, ut nemo ante. (3) Quo magis autem in illam se insinuabat, eo magis persentiesibat *tum* illius praestantiam et cum divina nostra religione necessitudinem, *tum* divinam hujus religionis originem, adeoque *et* pietatis virtutisque studium, quo a teneris inde imbutus fuerat, in dies acuebatur, *et* quotidie magis magisque sibi persuadebat, religionis virtutisque causa, nostris maxime temporibus, PLATONIS studium esse provehendum. Nam non unice hoc sibi proposuit, ut hujus viri philosophiam interpretaretur; illud spectabat item, quod jure quis ab interprete postulet,

(1) V. *Init. phil. Plat.* I. 21.
(2) V. *Init.* I. 201.
(3) Ib. III. 253 sqq.

ut, interpretandâ eâ, praesentibus temporibus consuleret. (1) Ut igitur popularitatem in philosophia reprehendit, cui cedat interior rerum inquisitio, sic vituperavit etiam multorum Germanorum rationem, qui inquirendi diligentiae severitatique omnem, vix ullam perspicuitati operam navantes, *et* suis ipsi placitis, *et* toti philosophiae sic tenebras offuderunt, ut ab ejus studio et cognitione, exceptis philosophis, caeteros homines excluderent omnes. (2) Deinde identidem contra ejusmodi philosophos disputat, quorum tota de sensibus disquisitio ad *materialismum* tendit et *atheismum*, (3) simulque monet, philosophum non oportere spectare, quae mentis humanae facultates superent. (4) Verbo, interpretanda PLATONIS philosophia, *ipsius* philosophiae naturam, propositum, ubertatem, ambitum exponere studuit, idque hoc proposito, ut non modo philosophiae consuleret literisque; verum etiam, ut, quod Christianum decet hominem, religionis virtutisque causam, adeoque veram generis humani salutem proveheret.

Hominem maxime cognoscere studebat HEUSDIUS, ut hominibus prodesset. Huc eum ducebat semper φύσις illa φιλόσοφος, quam confirmaverat et explicuerat philosophiae Platonicae studium, quamque moderabatur divina nostra religio. Itaque contemplabatur continue et accurate *et* se ipsum, *et* alios, viros, feminas, adolescentes, pueros adeo ludentes, ut quid in homine lateret, observaret ac cognosceret. Atque hinc explicandum est, quod historiae gentium ac humanitatis studium in deliciis haberet, quod hominum, populorum, regionum descriptiones avide legeret, longaque ipse itinera faceret, atque inter homines lubens versaretur. Quid? quod dialecticam PLATONIS secutus, eandem ob causam, totus in discernendo et conjungendo erat; in quo quantum valuerit, apparuit jam ex pulcerrima et gravissima oratione, quam, professionem suam in hac Academia auspicans, *de antiqua eloquentia cum recentiore comparata* habuit, et conspiciendum deinde praebuit, *cum* in caeteris scriptis, *tum* in praeclaro libro, nuperrime edito, quem *Characterismos principum Philosophorum veterum*, SOCRATIS, PLATONIS, ARISTOTELIS inscripsit.

(1) *Init.* II. I. p. 3, 4.
(2) Ibid.
(3) Ib. *Init.* II. 46.
(4) Ib. II. 3. p. 1 sqq.

Quantum autem ex naturae humanae studio rursus profecerit, *tum* ad intelligendum PLATONEM suum, *tum* ad tradendam gentium, humanitatis, philosophiae historiam, *tum* ad exponendum commune artium et disciplinarum vinculum et quasi cognationem, *tum* ad illustrandam religionis nostrae indolem et praestantiam, *tum* denique, quod maxime spectabat, ad excolendam vereque erudiendam juventutem nostram, abunde patet *et* ex scriptis editis, in primis ex epistolis illis gravissimis et suavissimis, quas de *institutione altiore* scripsit, *et* discipuli ejus ipsi usu experti sunt. Quod si de discipulis quaeritis, hos diligebat, vicissimque ab illis diligebatur. Nam verissime antiqui: *si vis amari, ama.* Summo autem amore eos prosequebatur, in quorum ingeniis latere φρόνησις videretur, quam in lucem producere, miscendis sermonibus, studebat, Socratem suum secutus rectissimeque sentiens, commotis in animo, qui lateant, igniculis, ardorem, qui inde existit et quasi ignem semet ipsum alere, ingeniumque juventutis non tantum, sed magis etiam animum Academica institutione esse excolendum.

Sed quid opus est plura? Novistis virum, A. A. H. H.! Religionis nostrae auctor summum ei exemplar erat, ad cujus similitudinem *et* se ipsum *et* alios componere studebat. In illo, in illo uno, minime vero in SOCRATE, aut PLATONE, spem suam reponebat omnem. Ejus doctrinam vere divinam atque unice aptam ad universum excolendum genus humanum, agnoscebat. Ad illam confirmandam et illustrandam philosophiae Platonicae studium adhibebat, recte perspiciens atque indentidem monens, verissimae religioni non posse non verissimam philosophiam *cum* convenire, *tum* lucem affundere. Hinc *et* libros sacros *et* illorum interpretes justa prosequebatur veneratione. Hinc concionibus sacris saepissime intererat, ipsamque coenam sacram, una cum Ecclesiae sociis, assidue celebrabat. Hinc pueros jam religionis sensibus imbuendos esse, omniumque omnino Professorum esse, virtutis studium provehere contendebat. Hinc repetenda praeclara ejus dicta: « qui non, « ut puer, credit, quo tandem modo philosophus appelletur; qui studiis « operam navans neque ipse emendatur, neque alios emendare quaerit, « quem quaeso inde fructum capit? Si Theologiae professioni me addixissem, « in singulis sermonibus sacris monentem me audivissent: » Deum prae om- « nibus, tum vero etiam proximum, ut te ipsum, ama. » Hinc denique ipse tam simplex, modestus, affabilis, humanus, amabilis erat, qualem eum

cognovimus, ut non potuerimus non intimo eum prosequi amore, summoque ejus desiderio teneamur. Tanta, A. A. H. H.! religionis Christianae, in conformandis hominum animis, vis est atque auctoritas. Non infudit quidem illa in virum desideratissimum eximias illas, quibus gaudebat, ingenii animique dotes. Inerat ei naturâ sensus pulcri, veri bonique acerrimus, magna φαντασίας vis; summa ingenii fertilitas; sed explicuit, sed moderata est eximias has dotes divina nostra religio, effecitque, ut, amore ductus, uxori, liberis, discipulis, amicis, patriae suae vivens, veram omnium salutem HEMSDIUS unice spectaverit.

Eandem vim atque auctoritatem divinae nostrae religionis suspeximus in altero, quod exstinctum dolemus, Academiae lumine, JODOCO HERINGA El. filio. Nam ille quoque honestis piisque parentibus natus, (1) inde a teneris, religionem Christianam edoctus, sincero erga Deum CHRISTUMQUE amore imbutus fuit. Patuit hoc jam in ejus pueritia; nam, cum pater arti medico-chirurgicae, quam ipse exercebat, addiscendae, filium destinasset, ille animis hominum se malle medicinam adhibere significavit. Quod quum intellexisset patruus ejus, literarum sacrarum in coetu Christianorum *Hagano* interpres, parentibus suasor fuit, ut filium, ingenii animique dotibus sese commendantem, in disciplinam sacram traderent. Quo probato, puer mittitur ad Gymnasium *Groninganum*, decimo aetatis anno, ibique, stadio scholastico quatuor annis feliciter peracto, Academiae civibus adscriptus est, quindecim annos natus. Florebant autem ibi eo tempore, praeter RUARDUM et SCHROEDERUM VV. cl., literas humaniores et orientales docentes, Theologi praeclari: CHEVALIER, KUIPERS, ABRESCH et LUBBERS, quorum *primus*, Theologus eruditissimus vereque liberalis, una cum EWALDO HOLLEBEEK et GISBERTO BONNET meliorem concionandi rationem in patriam nostram induxit; *alter* summa se commendabat pietate, et, quod bene tenendum est, *Coccejanorum* partibus favere dicebatur; *tertius* magna eruditionis et doctrinae copia, in primis summa interpretandis N. T. libris ἀκριβείᾳ et dexteritate excellebat; *ultimus* denique, quoad docendi rationem, brevitate et perspicuitate conspicuus erat. Florebant itidem, eo tempore, *Groningae* eximii juvenes, inter hos EELCO TINGA, in eadem Academia postea Theologiae Professor, quocum consuetudinem junxit et amicitiam,

(1) In vico *Gordijk* in *Frisia* d. 14 m. Oct. a. 1765.

quae ad praeclari hujus viri mortem permansit. Quantâ autem diligentiâ in Academia versatus fuerit et quos fructus *tum* ex Professorum, in primis ex CHEVALIERII et ABRESCHII scholis, *tum* ex TINGAE consortio tulerit, *et* ipse vidi, chartas ejus lustrans, *et* apparuit *tum* e *Dissertatione philologico-Theologica*, quam, Academiae valedicturus, a. 1785 *de formula Baptismi* scripsit, et, praeside cl. ABRESCH, strenue defendit, *tum* e probatione, Ecclesiae legibus requisita, quam simul cum amico TINGA subiit, hoc successu, ut nonnulli jam tum augurati fuerint, utrumque aliquando cathedram esse ornaturum. Ad sacram igitur provinciam administrandam admissus, mox venerando NAGEL, *Nijkerkae* divina oracula interpretanti, adjungi se passus est, commendatus a viro cl. KUIPERS, qui sacri ministerii munus ibi fuerat exsecutus. Quo munere qua ratione functus fuerit, ex eo effici potest, quod, sequenti anno (1786), in locum ven. NAGEL, munere defuncti, ab Ecclesiae senatu suffectus sit, gaudente et inaugurante eum patruo, qui puerum eum amaverat. (1) Idem mox, *et* nomine Societatis Haganae pro vindicanda religione Christiana, cujus auctor erat et stator, PIPERI et UHLII, virorum clarissimorum, responsa, Latine scripta, in Belgicum sermonem convertenda, honorifice ei commendavit, *et* ut ad propositam quaestionem ipse responderet, eum adhortatus est. Nec frustra; nam non modo laborem, sibi commendatum, accurate feliciterque peregit; sed scripsit etiam egregiam illam disputationem *de accommodatione*, quam Societas Hagana summo praemio ornavit (1789) et Germani in suam linguam transtulerunt (1792). Nempe florebant eo tempore *Harderovici* MUNTINGHIUS et TILANUS, alter Theol. Doctor et Professor, alter coetus Christiani antistes, necessariam librorum copiam benigne ei suppeditantes. Cum igitur fama ejus ad multorum aures pervenisset, non ita diu post a *Vlissinganis* petitus, ad illos se contulit, ibique non modo eodem ardore Euangelium annunciare, suique muneris officia praestare perrexit, amicitiam colens cum PALMIO v. cl. *Medioburgi* eo tempore degente; sed alteram scripsit disputationem, eruditam illam vereque liberalem, *de usu et abusu Critices*, quae itidem apud Societatem Haganam nummum aureum reportavit. Quam

(1) Uxorum ibi duxit *Geertruidam Wolvega*, e quibus nuptiis duo superstites sunt filii, alter Euangelii interpres in oppido *Delfzyl*, alter in vico de *Blaauwkapel*; tres liberi, ex iisdem nuptiis procreati, diem obierunt.

gratus autem *Vlissinganis* fuerit et acceptus, quantoque ipse eos prosecutus fuerit amore, abunde patuit *tum* ex deprecata, quam coetus *Gorinchemensis* antistites ei obtulerant, statione, *tum* ex iis, quae in Oratione inaugurali ad Academiae nostrae cives dicta habentur. Mortuo igitur FRANCISCO BURMANNO III, vir clar. BONNETUS, lectis commentationibus, ab HERINGA conscriptis, multisque praeclaris de eo auditis, eum commendavit, suaque maxime auctoritate effecit, ut huc evocaretur ad Theologiam docendam. Quod ut fieri posset, vir clar. KUIPERS discipulum eum agnovit suum; nam in BURMANNI locum Professor scilicet *Coccejanus* erat substituendus. Creatus igitur Theol. Doctor d. 2 m. Aprilis a. 1794, promotore viro cl. HERMANNO ROYAARDS, publice suscepit munus suum d. 5 m. Junii, habita oratione *de Theologiae in scholis institutione ad praesentem reipublicae Christianae conditionem prudenter accommodanda*, qua spem, de se susceptam, mirifice auxit et confirmavit. Nam commendat se haecce oratio magnopere non modo sermonis puritate atque elegantia; sed argumenti gravitate, ingenii acumine, judicii subtilitate, animi modestia, justa denique liberalitate, ostenditque praeclare, quam flagranti *cum* erga Deum Christumque, *tum* erga Societatem Christianam Academiamque Orator amore duceretur. Sperat enim fore, ut ex suis quoque studiis in posterum aliquid emolumenti ad Academiam redundet, et ut aliquando sedem, quae nunc eum ornaret, ipse quodammodo posset ornare, declaratque, non difficile sibi fore, honestas sibi voluptates denegare, non grave etiam, si aliter fieri non posset, lucubrationibus et vigiliis consumi: eo enim jam dudum se fuisse animo, ut malit brevem vitam, sed cum communi Societatis Christianae utilitate brevem, quam longam, sed otio et desidia contritam. (1) Praeclarum dictum: quod quanta sit religionis Christianae in homine vis atque auctoritas, egregie nos docet.

Sed videamus, utrum steterit promissis, suique voti compos sit factus. Quod ut pateat, ab hac ipsa oratione contemplanda ordiendum esse videtur. Probatâ igitur gravissimâ sententiâ de Theologiae in scholis institutione ad praesentem reipublicae Christianae conditionem prudenter accommodanda, alterâ orationis parte exponit, quâ potissimum ratione temporum commodis aptari debeat Theologiae in scholis institutio. Ac *primum* quidem in sapienti

(1) V. *Orat.* p. 44. sq.

rerum tractandarum delectu insignem prudentiae, quam laudare instituerat, partem absolvi, adeoque non de antiquis litibus rebusque minoris momenti, sed de gravissimis, quae agitarentur, quaestionibus, fusius agendum esse monet. *Deinde* hoc sapientiae officium extendi debere contendit ad universam disciplinae rationem, *tum* in Theologia docenda, *tum* in demonstrandis doctrinae salutaris capitibus, *tum* denique in veritate defendenda. *Accurata* igitur sit Theologiae institutio, *simplex*, *elegans*. In demonstrandis *porro* doctrinae salutaris capitibus ita versari oportere Theologum dicit, ut Hermeneutices Criticesque subsidiis, quae maximo cum reipublicae Christianae commodo suppeditaverat felix virorum, in utroque genere doctissimorum, industria, instructus, nihil aliud praestet, nisi quod ad religionis Christianae dignitatem, doctrinae vero repurgatae decus tuendum quam maxime sit opportunum. *Denique* in defendenda veritate cogitandum in primis esse monet, non de novis fratres inter litibus commovendis; sed quantum quidem per veritatis jura liceat, de veteribus potius componendis, vel negligendis etiam, quae fere in oblivionem venerint: quo mutuo tolerationis vinculo conjuncti fratres, communi virtute in hostilem, novoque sophismatum et captionum apparatu instructam, aciem possent irrumpere, et gloriosos pro justissima religionis causa reportare triumphos. Hanc sibi ipse legem scripserat in novo munere curando. (1).

Cum autem totus jam in eo esset, ut huic legi satisfaceret, ecce, currentem eum nonnihil reprimunt ac retardant molestae lites, quas de gravissimo eodemque difficillimo loco Theologico moverunt ei *primum* vir quidam plurimum venerandus, *deinde* ipsi Collegae, veritatis tuendae studio ducti. Sed has lites alto praetereundas esse silentio existimo; quod ipsi viri praeclari, ad beatorum sedes profecti ibique sempiternam pacem servantes, me monere mihi videntur. Unum hoc observare mihi liceat, valuisse illas, *tum* ad omnes, quibus gaudebat vir desideratissimus, ingenii animique dotes, in his summam prudentiam, explicandas, *tum* ad famam ejus existimationemque augendam, *tum* denique ad religionis Christianae, in conformandis hominum animis, vim atque efficacitatem comprobandam.

Sed videamus potius, utrum legem, quam sibi scripserat, sancte servaverit.

(1) V. *Orat.* p. 20.

Quid autem opus est verbis, ubi rerum testes adsunt quam plurimi? Vos dico, Commilitones optimi! quibus praeclaro viro frui praeceptore, summâ Dei benevolentiâ, mecum contigit. Nonne prudenter se accommodabat ad praesentem reipublicae Christianae conditionem? Nonne suspeximus laudatam prudentiam, in sapienti rerum tractandarum delectu conspicuam? Quam accurata et simplex et elegans erat omnis ejus institutio! Quam tuebatur continue, summo ardore, *et* religionis Christianae dignitatem, *et* doctrinae repurgatae decus! Quam constanter abstinebat a verborum controversiis et invidisiorum nominum acerbitate, amore erga omnes nos imbuens! Cogitetis mecum ejus Scholas *et* alias *et* maxime Exegeticas, *tum* vero etiam horas illas vespertinas! Quid vobis acciderit nescio, ego vero ex ejus ore pendebam, nec tantum in summam saepe viri admirationem abripiebar: sed majore virtutis divinaeque nostrae religionis amore imbutum me esse sentiebam. Paterno nos complexus est amore, vixitque nostrum maxime in commodum, adeo ut tantum ei debeamus, quantum in alterâ demum vitâ persolvere poterimus. Nam per eum vivere coepimus, siquidem vivere non est spiritum ducere, sed animum explicare ad percipienda praeclara omnia, in iisque felicitatem quaerere. Et, si quid est in nobis, quod valeat ad Societatis Christianae commoda tuenda et provehenda, id omne, summâ Dei benignitate, ei in primis acceptum referimus.

Sed *alterum* etiam, quod in scribendo, scriptisque edendis cernitur, Professorum officium, vir desideratissimus praestitit. Quod tamen ut recte dijudicemus, tenendum *primum* est, habuisse eum, inde ab initio sui muneris, singulis fere dierum hebdomadibus, orationem sacram pro concione; *deinde* multis variisque rebus eum a studiis fuisse abstractum, cujuscunque generis homines quam plurimos convenire eum solitos fuisse, vel salutandi, vel consilii petendi causa, multasque ei scribendas fuisse epistolas; *denique* nihil eum actum reputasse, dum quid agendum superesset; unde multa adhuc latent in scriniis scripta inedita. At vel sic tamen omnem, qua late patet, Theologiam complexus est, et de singulis disciplinae partibus bene meruit. De *Critica* quaeritis? Laudo *cum* Scholas, quas de ea habuit; *tum* accuratissimam illam LOTZII viri cl. censuram; *tum* subtilem disputationem, qua magni VALCKENAERII sententia de receptis ab Interpretibus N. T. Belgis, doctorum virorum conjecturis, nullo etiam Codice confirmatis, ita profligata

est, ut, me quidem judice, contradici nequeat; *tum* lectionem de Codice *Boreeliano* (F), nunc ROUKENSII, gravissimam, hujusque Codicis collationem, quam in viri MSS. inveni, quem laborem, elegantulis hominibus minime suavem, exantlare non potuisset, nisi flagranti ductus fuisset literarum sacrarum amore; *tum* denique *Introductionem* in N. T. libros ineditam, quam qui noverint, multis eam nominibus celebrandam esse ad unum omnes clamitant. Quod si *Hermeneuticen* dicitis, cogitetis quaeso annotationem, quam SEILERI *Hermeneuticae Biblicae*, in Belgicum sermonem a se translatae, adjecit (1804), quâ *et* perversam Codicem sacrum interpretandi rationem, in Germania regnantem, strenue feliciterque oppugnavit, *et* eruditionis ubertatem probavit haud vulgarem; ne dicam de magnâ in ERNESTII et KEILII institutionem Interpretis N. T. annotationis copiâ, quam inter chartas ejus latentem inveni. Maxime autem excelluit, me quidem judice, in interpretandis N. T. libris, de quo omnes facile mecum esse consensuros existimen, quotquot Exegeticis ejus Scholis interfuerint, et quod probant tum *Quaestiones* illae *de locis N. T. difficilioribus*, tum *Commentarii* in plurimos N. T. libros, in scriniis adhuc latentes. Quid? quod laxam illam interpretandi rationem, ad quam plurimi prolapsi fuerunt, semper improbavit, eamque ἀκρίβειαν in interpretando continue servavit, ad quam WINERUS maxime s. librorum Interpretes reduxit. At *Theologiam historicam* fortasse neglexit? Neglexit? Imo vero Societatis Christianae historiam aliquando tradidit; et quantâ diligentiâ in Ecclesiae patriae historia versatus fuerit, id testantur *et* accurata illa disputatio de MACCOVIO, *et* ea, quae dedit, interpretationem librorum s. Belgicam spectantia, *et* annotatio, orationi *de auditorio Academiae Rheno-Trajectinae* adjecta. De *Theologia* porro *philosopha*, sive *Systematica* si rogatis, docuit *tum* Theologiam *naturalem*, *tum*, et maxime quidem, Theologiam *dogmaticam*, multis illam nominibus laudandam, quae tamen potius dicenda erat *Biblica*; nam in ea tradenda librorum s. simplicitatem presse sequebatur; unde extrema quaeque feliciter evitavit, semper sibi constans, summamque tum in negando, tum in affirmando, prudentiam servans et modestiam. In primis autem *Apologeticae* operam navavit; quod testantur praeter disputationes, a Societate Hagana praemio ornatas et a me laudatas, duae aliae Commentationes, quae apud eandem Societatem praemium tulerunt, altera de *regia Christi dignitate* (1797), altera *de Angelis* (1811);

et quorsum eum ducebat *tum* intima de religionis nostrae veritate et divina origine persuasio, *tum* summa, qua gaudebat, judicii *ἀκρίβεια*. *Theologiam* denique *pastoralem* maximo coluit studio, quod *et* uniquique patet ex utilissimo opere, quod ab eo, qui consilium rogat praebetque, inscripsit, *et* discipuli ejus norunt, *et* vero mihi abunde apparuit, chartas ejus lustranti. Quae cum ita sint, A. A.! nonne voti sui compos est factus, ut aliquando sedem, quae primum eum ornaret, ipse posset ornare?

Neque docendo tantum et scribendo, sed *regundo* etiam Academiae profuit. Nam Rectoris munere ter functus est, (1) et altera quidem vice, inde ab anno 1811 — 1816. Novistis autem, quae tempora vixerimus, regnante NAPOLEONE. Vacillabant omnia et ad interitum vergebant; jamque eo redactae erant res nostrae, ut, si decreti imperialis vindicibus morem gerere consultum duxissent Professores, exstincta penitus fuisset Academia Rheno-Trajectina. Sed, auctore maxime HERINGA, addente animos Deo o. m., ausi sunt contradicere, refragari, in docendo pergere. Quae omnia non est, quod fusius exponam; nam ipse ea narravit in pulcerrima Oratione, quam habuit *de rebus quae Academiae Rheno-Trajectinae, se rectore, acciderunt, prosperis et adversis*; et ita narravit, ut summam viri modestiam, nihil fere sibi tribuentis, non satis admirari possimus. Nos autem lubenter gratoque animo fatemur, HERINGAM, difficillimis istis temporibus, Palladis nostrae tutorem fuisse ac vindicem.

Qualis autem quantusque fuerit *Orator*, omnes norunt, qui *tum* ex hac Cathedra, *tum* alibi, *tum* e suggesto sacro dicentem eum audiverunt. Ipsa illa oratio de Academiae fatis in hunc me locum deduxit. Quam vellem nonnullas dapes, inde sumtas, vobis apponere! Quae dicendi gravitas! Qui sententiarum lepores! Qualis actio! Videor mihi etiamnum narrantem eum audire, quâ ratione solennibus Academiae *Leidensis* initiandae celebrandis interfuissent GUENSIUS et HEUSDIUS, hoc veteri vestitu nostro, patrio, valde diverso a novo, varii coloris insolitaeque formae, cujus parandi causâ opus fuisse ferunt sarcinatore Parisino. (2) Neque ipsum DEMOSTHENEM, aut CICERONEM aliter descripturum fuisse putem horribilem illam NAPOLEONIS stragem, quam

(1) Primum a Acad. 1798/99; tertium a. A. 1824/25.

(2) V. Ann. 1815/16 p. 131.

describentem eam HERINGAM et audivimus et vidimus. Sed dicendum mihi maxime est de Orationibus ejus sacris. Quam simplex et perspicua simulque culta et vere oratoria erat ejus dictio! Quam convenienter *et* tempori *et* concioni dicebat, CHRISTUM semper praedicans et universam ejus doctrinam, ex unis literis sacris petitam, exponens! Quam commoto semper dicebat animo! Quam apte semper ex ipso orationis argumento ducta erat applicatio! Quantumque valebat ad persuadendum auditoribus, ut sinceram colerent pietatem virtutemque! Sed justa harum rerum expositio singularem requireret orationem. Unum hoc addere dictis mihi liceat; *tum* habendis, *tum* edendis sermonibus s., simplicitatem illam commendasse eum et tuitum esse, quae in multorum Orationibus s. desiderabatur et etiamnum frustra quaeritur.

Quid mirum, A. A.! praeclarum huncce virum *et* ab Amstelodamensibus, *et* a Leidensibus fuisse petitum? Quid mirum, multis eum Societatibus literariis fuisse adscriptum, et ab augustissimo Rege nostro Ordinis Leonis Belgici equitem creatum? Sed quod ipse in aliis, prae caeteris omnibus, laudandum existimabat, id nos in eo maxime celebrandum esse putamus, nempe vim atque efficacitatem, quam in eo habuit divina nostra religio. Inerant ei naturâ eximiae dotes, memoria tenax, acerrimum ingenii acumen, judicium subtilissimum, flagrans discendi cupido verique amor, animi magnitudo singularis et robur cum summa prudentia mirifice conjunctum, eximia denique laboris patientia et assiduitas. Sed inerat ei etiam, inde a teneris, sensus religiosus. Inerat sincera fides, Deo CHRISTOQUE habita, quae, nutrita sensimque aucta, ad maximam maturitatem pervenit. Haec dominabatur in omnes illos ingenii animique dotes egregias, effecitque, ut, licet homo maneret, in omnibus tamen officiis praestandis, summa duceretur religione; ut communem hominum salutem suo commodo et honori anteponeret; ut in eruditorum non tantum gratiam; sed et in commodum indoctorum scriberet, quod testantur *et* annotata BERGENI libro adjecta, *et* sermonis montani interpretatio; ut tum maxime ad dicendum se praepararet, cum ad plebejos homines verba sibi facienda essent; ut omnibus Societatibus, veram hominum salutem spectantibus, adscribi se vel passus sit, vel curaverit, utque, quatenus hoc potuit, quaerentibus consilium, afflictis solatium, pauperibus cibum praeberet. Haec effecit, ut nihil fere sibi, cuncta vero divinae gratiae accepta referret; ut non in luce modo atque in oculis civium magnus esset; sed intus,

domique praestantior; ut, emeritis stipendiis, in scholis et orationibus s. habendis perrexerit, atque operosa fuerit ejus senectus usque ad extremum vitae diem. Haec denique effecit, ut summam semper adhiberet animi moderationem et aequitatem; ut uxorum [1] filiaeque suae carissimae mortem aequo animo ferret, in sapienti benignaque Dei voluntate acquiescens, utque suam ipsius mortem, tamquam errorum et peccatorum liberationem, in ore ac sermone haberet. Tanta, A. A. H. H.! religionis Christianae, in conformandis hominum animis, vis est atque praestantia.

Beatum me praedico, A. A.! qui, in tam gravi calamitate, eandem religionis vim atque auctoritatem laudare possim in *tertio*, quod exstinctum dolemus, Academiae lumine, SUERMANNUM dico, virum desideratissimum. Clarissimo patre, ceberrimo Academiae nostrae Professore, natus, et a teneris inde, medias inter institutiones Academicas educatus, Cathedrae destinatus videbatur vir juvenis, singularibus prorsus ingenii animique virtutibus excellens. Sed quis ego sum, qui SUERMANNI laudes celebrem, doctrinarum Physicarum et Medicinae plane ignarus? Audiatis MOLLIUM, MOLLIUM dico, virum unum in paucis magnum, eundemque non tam facilem ad laudandum. Hic igitur, quum more majorum Math. Magistrum et Phil. nat. Doctorem eum renunciaret: « ALEXANDER CAROLUS GUILIELMUS SUERMAN, » inquit « inde jam a « teneris *et* indefessa assiduitate, *et* incredibili quodam ingenii acumine, « *tum* bonis literis, *tum* disciplinis, quae ad omnem Philosophiam naturalem « pertinent, operam navavit, constanter, gnaviter, assidue, nunquam « varietate disciplinarum impeditus. Mox Medica studia cum Mathesi « et philosophia naturali felicissime conjunxit, ut praeceptoribus admi- « rationi, amicis exemplo esset, omnium imitatione dignissimo. Neque « haec leviter a me dicta esse ipsa documenta probant. In certamine enim « literario apud *Leidenses* victor exstitit, scripta egregia, si quid video, » (ita MOLLIUS), « commentatione de *hygrometris*. Postea, quum patria, seditioso « tumultu, in periculo versabatur, fortiter cum commilitionibus voluntaria « stipendia meruit. Grassante vero dirissimo in his regionibus morbo, « humanitatis et in arte salutifera peritiae laudes jure suo acquisivit eximias.

[1] Alteras nuptias inierat cum CLARA JUDITHA NAGEL, filia ven. NAGEL, in cujus locum *Nykerkae* suffectus erat. Obiit haec diem supremum d. 16 m. Dec. a 1825; prior uxor e vita excessit d. 25 m. Dec. e 1797.

« Idem, plaudentibus omnibus bonis, summa cum laude Medicorum studiorum « curriculo peracto, egregiam scripsit dissertationem *de Cholerae Asiaticae « itinere per Belgium septentrionale*, et summis in Medicina honoribus « ornatus est. Facultas autem Matheseos et Philosophiae naturalis, assen- « tiente Senatu Academico, dignum eum judicavit, qui lauream doctoralem, « ritu solemni, *more majorum*, in hac Facultate capesseret, egregiis « profectuum suorum, *tum* in examinibus, *tum* in conscribenda et defen- « denda dissertatione *de Calore fluidorum elasticorum specifico*, exhibitis « speciminibus. » (1) Tantâ vir juvenis jam gaudebat variae eruditionis copiâ, cum altera Academiae saecularia celebraremus. Quam ut augeret et amplificaret, primum *Lutetiam Parisiorum*, deinde *Londinum* se contulit, incredibili discendi observandique studio ductus, ibique *tum* Nosocomia, Musaea, instituta, ad doctrinas Physicas et Medicinam spectantia, diligenter contemplatus est, *tum* necessitudinem cum viris celeberrimis junxit, quam sancte colendam putavit. Ex hisce igitur itineribus in patriam redux, artem salutarem, hac in urbe, exercere coepit: in quâ tractandâ summâ eum diligentiâ, prudentiâ, religione felicissimoque eventu versatum fuisse, uno testati sunt ore omnes, qui germano hoc Medico usi sunt, et vero etiam abunde patuit ex crescente in dies numero illorum, qui se curandos ei committerent. Ne vero putetis A. A.!, arti exercendae ita totum se tradidisse eum, ut studiis ab eo inde tempore valedixerit. Non potuit hoc SUERMANNUS, pro ardenti, quo flagrabat, disciplinarum amore: contra vero *et* multa legebat, non raptim, sed studiose diligenterque, *et* ipsam artis tractationem, accurate observando suasque observationes scribendo, ad proficiendum adhibebat. Quid? quod non hanc illamve artis partem, sed omnem, qua late patet, complexus est, ita ut mox primum *artis obstetriciae*, deinde *Chirurgiae Doctor*, ob summam doctrinae praestantiam, magna cum laude, creatus fuerit. Quid mirum, amplissimos Academiae Curatores continuo oculos in eum conjecisse, cum clar. WOLTERBEEK provinciam suam, propter valetudinem, relinqueret. Fateor, juvenili erat aetate; sed hac juvenili aetate, quod aequi justique harum rerum arbitri uno ore dixerunt, ingenio, eruditione, prudentia adeo excellebat, ut per omne aevum paucissimi fuerint inventi, qui cum eo comparari queant. Nulli igitur dubitarunt

(1) V. Ann. Acad. Rheno-Traj. a. 1836/37 p. 30, 31.

Viri amplissimi, augustissimo Regi eum commendare, hoc successu, ut, ex Regis decreto, Medicinae docendae provincia ei demandaretur, approbantibus et gaudentibus omnibus, qui SUERMANNUM cognoscerent et Academiae nostrae bene vellent. Nec spem de se conceptam, fefellit. Imo vero confirmavit eam et auxit erudita illa atque eleganti oratione, quam ex hac ipsa Cathedra, ante hos novem menses, habuit desideratissimus vir *de Medicina, doctrinarum physicarum ope, nostra in primis aetate, perficienda.* Gravissimum sane argumentum; nam vel harum rerum imperiti facile perspiciunt, Medicinam doctrinarum physicarum ope esse perficiendam, hancque unicam esse viam, quam germano Medicinae doctori, in difficili disciplina tradenda, ingrediendum sit Ejusmodi autem argumentum exspectare potuimus ab eo, qui hanc, discenti in hac Academia, viam sibi indicatam gaudebat, qui ipse in oratiuncula, quam nomine Doctorum, alteris Academiae saecularibus concelebrandis, more majorum, creatorum, habuit, paucis, sed egregie dixerat *de methodo philosophica, qua doctrinae physicae et medicae tractandae sunt,* (1) et qui, non de meo, quod nihil quicquam, hac in re, valet, sed de judicio clar. nostri VAN REES, in Physicis etiam doctrinis tradendis, Cathedram ornasset. Quod si quaeritis, A. A.! de ratione, qua gravissimum hoc argumentum tractaverit, equidem nescio, quid magis laudem, utrum viri eruditionem, an modestiam, dicendi gravitatem, an perspicuitatem, an vero elegantiam, juvenilem ardorem, an virilem prudentiam. Sed ipsi eum dicentem audivistis; ipsi orationem legistis. Persentiscebat muneris, sibi impositi, gravitatem et difficultatem; sed deprecari honorem noluit, impium putans almae Academiae, cui tanta deberet, non integram, si quaereret, vovere vitam. Audio eum etiamnum videoque, ad vos, Viri amplissimi! summo ardore dicentem: « vos jure postulatis, ut oblatum munus pro Academiae dignitate vindicetur. — « Hoc igitur vobis persuasum habeatis, me per integram vitam religiose esse « provisurum, ne vos umquam consilii vestri poeniteat. » Audio eum etiamnum videoque ad vos se convertentem, optimi Juvenes!: « viam, » inquit, « vobis proponere studui, quam Medicinam, ut scientiae sustineat « dignitatem, ingredi oportet. Vestrum erit, hanc dignitatem tueri. « Quidquid in me est, vel ingenii, vel animi, vel qualiscunque demum « exercitationis, id vobis omne consecro. Novi equidem vestram humanitatem.

(1) V. Ann. Acad. 1836/37 p. 59 — 64.

« Quo ego magis arti nostrae gaudeam, quae non doctrinae tantum, sed et « verae humanitatis principiis ducitur. His animi sensibus conjuncti, me « amicum vestrum integerrimum habeatis. Communi ardore fidem exsolva- « mus, quam Academia, quam patria, quam hominum societas, jure suo, « a nobis postulat et exspectat. » Atque ille quidem fidem exsolvit, quamdiu potuit, suisque promissis stetit. Cito vos testes, optimi Juvenes! qui Medicinae operam navatis. Nonne gravissima, vobisque fructuosissima fuit omnis ejus institutio? Nonne vobiscum versatus est, ut amicus cumamicis? Sed quid quaero? Quanti vos eum feceritis, hoc testatae sunt lacrimae quas effudistis. Et dignus omnino erat his vestris lacrimis. Nam cognovimus eum, non modo singularibus ingenii dotibus magnaque doctrinae copia excellentem; sed humanitate et modestia se magnopere commendantem. Imo vero, ut in HEUSDIO et HERINGA, ita et in SUERMANNO regnabat sensus religiosus fidesque, Deo JESUQUE CHRISTO, Sospitatori nostro, habita. Ducebatur sane laudis studio, quod quis est, qui condemnet aut vituperet; sed dominabatur in eo sensus ille religiosus; dominabatur laudata fides. Hac animum ejus, ab ineunte aetate, imbuerunt pii parentes. Haec effecit, ut tenerrimo illos prosequeretur amore; ut gratum semper animum erga praeceptores praeberet; utque juveni modesto, omnem ingenii ostentationisque suspicionem vitanti, nullus condiscipulorum invideret. Haec effecit, ut, amore ductus, Medicinae hanc in primis quaestionem solvendam esse statueret, quomodo per hominis ac naturae cognitionem generis humani salus provehi possit; ut, hujus salutis provehendae causa, ne mortem quidem reformidaret, utque eam pauperum curam haberet, quâ commoti vim lacrimarum profuderunt, suo scilicet Professore orbatos se dicentes. Haec denique effecit, ut publicis Christianorum concionibus saepissime interesset; ut Dei auxilio fretus et ad Eum precibus fusis, munus suum fuerit auspicatus, epistolamque illam, ad optimos parentes datam, moribunda fere manu, scribere potuerit, auro gemmisque longe pretiosiorem. Tanta, A. A.! religionis Christianae in conformandis hominum animis vis est atque auctoritas.

Sed in conformandis non tantum, verum etiam in *consolandis* hominum animis summa gaudet vi atque praestantia divina nostra religio. Quod ipsi saepe usu experti sumus, et vero etiam funesto hocce die experimur, quo trium capitum carissimorum amissionem dolemus et commemorando dolorem nostrum auximus. Fateor, senex erat cl. HERINGA; nihil autem est tam

secundum naturam, quam senibus emori. Imo vero gratiae agendae nobis sunt Deo o. m., cujus benevolentia singulari praeclari viri institutione, consilio, exemplo, per quinque et quadraginta annos, quam plurimis frui contigit. (1) At summo tamen ejus desiderio tenemur, eratque spes fore, ut, per aliquot saltem annos, ingenio, auctoritate, prudentia, longo rerum usu quaesita, Academiae et Societati Christianae prodesse pergeret. Concedo, multa eaque egregia praestitisse HEUSDIUM; sed ea tamen erat aetate, ut plura etiam praestare *et* potuisset *et* certissime praestitisset, si longiore vita frui ipsi licuisset. Desideramus jam eheu! *et* alia, historiam spectantia, *et* scholam illam Polybianam. Quod si SUERMANNUM, de quo quaevis praeclara in Academiae hominumque salutem sperabamus, curriculum suum vix ingressum, subitâ morte nobis ereptum, cogitemus, quae nos consolatio sustentet, nisi ea, quam praebet divina nostra religio? Consulite modo antiquorum scripta, *tum* alia, *tum* consolationem illam quae CICERONIS nomine circumfertur; nonne consolandi materiam, maximam partem, sumunt e multis, quibus hac in vita obruimur, molestiis, et quae ex divinae naturae alteriusque vitae contemplatione petita apud illos inveniuntur, nonne haec dubia sunt et incerta? Sed religio, religio, inquam, Christiana, quae dolorem minime improbat, neque omnes illius fibras ex animo evellendas esse docet, universam simul illius medicinam complectitur. Haec enim, divinâ gaudens auctoritate, declarat, non fatali quadam necessitate; sed sapienti benignoque Dei numine cuncta moderari, nihil quicquam fortuito accidere, ipsos adeo capillos nostros numeratos esse. Haec monet, profunda Dei consilia, in hac quidem vita, capi a nobis non posse; at simul tempus fore significat, quo, perspectis illis, divinam sapientiam bonitatemque admiraturi sumus et exclamaturi: « tu, « Pater coelestis! omnia bene fecisti. » Haec nos certiores reddit de malorum finibus, divinitus nobis contingentium, ut ab hisce rebus terrestribus avocati, coelestia cogitemus et ad Dei imaginem quotidie magis magisque nos componamus. Haec affirmat, ex vita nos discedere, tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo, omnesque, qui fidei et amoris vinculo cum Christo sint juncti, una cum eo fore in aeternum. Haec denique in ipsum Sospitatorem nostrum oculos nos convertere jubet, ut uberrinam consolationem ex ejus fatis petamus. Jam habemus, in quo acquiescamus. Jam certo certius scimus,

(1) Diem enim obiit, 18 m. Jan. 1840, adeoque annos 74 natus.

triumviros desideratissimos vivere, et eam quidem vitam, quae est sola vita nominanda, nosque ad illos esse profecturos, ut perpetuâ eâque beatâ cum iis vitâ perfruamur. Haec consolatio est, quae nos, quae optimam HENSDII viduam, quae illius et HERINGAE liberos, quae clar. SUERMANNUM ejusque uxorem sustentavit et sustentat. Doluimus cum illis, maxime cum SUERMANNO ejusque uxore et etiamnum dolemus. Amiserunt filium, qui cum ingenii animique dotibus singularibus singularem jungebat erga parentes pietatem, quem in oculis ferebant, qui totus in illis erat, acerbosque dolores, olim illis inflictos, leniebat et mitigabat, hunc filium egregium, unicum, quem illi soli rite aestimare potuerunt, amiserunt. Profecto gravior est haec calamitas, quam ut ferri possit sine fide, divinae nostrae religioni habita. Hac vero nisi, moerori se non tradiderunt, sed se ipsi consolati sunt, sibi persuadentes, abstulisse filium Patrem coelestem, et existimantes, non longinquum digressum et discessum fore. Hac nisus Collega conjunctissimus, quod filius precatus est, in Academiae hominumque salutem, vivere pergit, et, quod speramus ac confidimus, vivere perget, quamdiu corporis animique vires ei largiri Deo placebit. O praeclara religio, cui uni mentis tranquilitatem, animi moderationem, in acerba omnia summam quandam vim ac fortitudinem acceptam referamus necesse est! Gratias tibi agimus quam maximas, Deus o. m.! pro eâ nobiscum communicatâ. Utinam omnes sincera eam fide amplecterentur! Tu hanc fidem *et* nobis *et* mortuorum cognatis confirmes et augeas, ut nostrum nos iter, ad coelestem patriam ducens, constanti animo, erectoque capite perficiamus.

Sed malis, uti semper, ita hoc quoque anno Academico, intermixta fuere *bona*, in quorum tamen commemoratione brevis ero, ne justo longior fiat oratio.

Habemus sane, quod gaudeamus Deoque gratias agamus, qui *et* augustissimum Regem, Academiae nostrae statorem ac vindicem, *et* amplissimos Curatores, quorum sub tutela tuta est nostra Pallas, et in quorum numero nunc praesentem intueri nobis contingit nobilissimum hujus urbis Consulem, salvos incolumesque servaverit.

Habemus, quod gaudeamus Deoque gratias agamus, Viri clarissimi! Collegae

conjunctissimi! nos certe superstites vivere in Academiae commodum. Quid? quod divina benignitas clar. GOUDOEVERO et WOLTERBEEKIO corporis animique vires largitus fuit, ut HEUSDII et SUERMANNI partes suscipere potuerint; pro quibus officiis praestitis vobis utrisque, Viri clar.! mea voce, gratum suum animum testificantur Academiae cives. Eadem porro divina benignitas te, clar. DE FREMERY!, seniorem, e gravissimo morbo recreatum et ad sanitatem reductum, tuis, nobis, Academiae, doctrinis, societati denique humanae reddidit. Conspicimus te, jam septuagenarium, corporis animique viribus etiamnum valentem, magno cum gaudio, atque ex animo optamus, ut otio, quod mox tibi concedetur, honorifico, laete diuque fruaris. Ita et *cum* tibi, clar. ACKERSDYCK!, *tum* nobis honorem gratulamur, quo, ex augustissimi Regis decreto, Professor ordinarius creatus, Academiae nostrae devinctus es in perpetuum. Gratulamur et tibi, doctissime KARSTEN!, qui magnam jam nominis celebritatem, eruditione tua et assiduitate nactus es, et quem mox in HEUSDII locum suffectum videbimus. Utrique mementote, vos viri desideratissimi esse discipulos, adeoque toti in eo estote, ut pulcri, veri bonique que sensu alumnorum vestrorum animos, ad praeclarum illius exemplum, imbuatis. Nec tu praetereundus es, doctissime KOCH!, qui Custodis Blibliothecae munere, per sex et triginta annos, functus es diligentissime, fidelissime. Gratias tibi semper agent Academiae cives pro facilitate et humanitate, quâ libros desideratos semper indicasti et suppeditasti. Nos autem honorificum tibi otium gratulamur utque laeta felique reliqua tibi sit vitae pars, ex animo precamur.

De *Institutis* nostris et *Museis* plura possem dicere; sed haec pauca sufficiant. *Bibliotheca Academica*, cujus curam gerendi provinciam, pro tempore, suscepit cl. GOUDOEVERUS, tot aucta est librorum voluminibus, ut porticus etiam asservandis libris aptari debuerit. *Museum Geologicum* et *Mineralogicum* specimina nova accepit, quam plurima. *Museo Anatomico* quoque nonnulla addita sunt specimina nova. *Museum Zoölogicum* auctum est rarissimo, magnique momenti specimine, nempe *Sceleto Tapiri Indici adulti*, eique donarunt *tum* amplissimus BOTHUS HENRICI lectulum pendentem ornatum, ab *Indianis*, ad flumen, quod *Rio Negro* dicitur, habitantibus, confectum, *tum* amplissimus VAN NES egregiam pellium avium copiam, in coloniis Neerlandicis orientalibus collectam. *Horti Botanici* justa cura geritur.

Nosocomium denique desideratissimi in primis SUERMANNI cura atque diligentia eximiam dedit studiosis facultatem et opportunitatem ad artem salutarem, qua late patet, exercendam.

Gaudendum autem nobis in primis est de vobis, optimi Juvenes! Nam non modo strenue disciplinis operam navastis; non modo vexilla, Senatui amplissimo tradita, et in Senaculo exposita, in memoriam nobis revocarunt honestum illud praelium, quod pro patria inierunt Academiae cives; sed in pulcrius etiam certamen vos descendistis, hoc anno Academico, perversos, qui obtinebant, mores et instituta oppugnantes ac profligantes. Omnino, ut triplici luctu gravissimo, ita hoc quoque nomine distinctus fuit Magistratus meus. Excitatus est in vobis et confirmatus sensus justi, boni, honesti. Abrogandas esse novitiorum vexationes, uno omnes ore clamitastis. Nec clamitastis tantum; sed, melioribus factis institutis, a vexandis advenis prorsus abstinuistis, recte existimantes, puerilia non nisi a pueris, et inhonesta ab incultis tantummodo hominibus tractari. Dicere vix possum, optimi Juvenes! quantopere gaudeam, *tum*, quod tota haec res a vobis ipsis profecta sit, *tum*, quod unanimi fere omnium consensu, sine ullis rixis et litibus, ipsi eam constitueritis. Macti hac vestra virtute este! Utinam sensus ille justi bonique quotidie magis magisque acuatur et excitetur! Utinam vos omnes animum et mentem vestram virorum laudatorum cogitatione conformetis, adeoque pietate, probitate, humanitate, aeque atque assiduitate et eruditione vos commendetis! Tum *et* illorum memoriam factis celebrabitis, *et* in vobis etiam conspicuae erunt divinae nostrae religionis vis atque efficacitas. Vidistis, hoc ipso anno Academico, omni aetati mortem esse communem. Utendum igitur aetate et sic vivendum est, ut tranquille mori possimus.

Vos certe illa usi estis, optimi Juvenes! qui in certamine literario victoriam reportastis. Ut igitur vos publice praemiis ornem, virum clar. DE FREMERY, qui Senatui ab actis est, rogatum velim, ut singularum Facultatum judicia nobiscum communicet.

Tu igitur primus huc accedas, ornat. HETTERSCHEY! Gaudeo, te victorum chorum ducere, quoniam, fatebor enim, civis es Academiae nostrae. Dignissimam esse tuam commentationem, quae numum aureum reportet, Facultas judicavit; neque tamen eo te ornare potuit. Quidni? Aliusne fortasse disputationem scripsit? Minime gentium! Ipse eam scripsisti; quod

institutâ tecum disquisitione abunde probasti. Sed alienâ manu fuerat describenda, jubente hoc lege, justa de causa. Itaque pro numo aureo honorificum hoc laudis testimonium accipe; quod cum trado, simul auctor tibi sum, ut ad clar. SUERMANNI, de quo dicentem me audivisti, imaginem te componas, atque egregias ejusmodi commentationes ipse scribere pergas.

Prudentius tu egisti, praestantissime VAN BAUMHAUER!, nam *et* ipse disputationem tuam scripsisti, *et* aliena manu describi eam curasti. Unde te non tantum praemium meruisse, sed ornandum etiam eo esse Ordo decrevit. Numum igitur hunc aureum tibi trado gratulorque *et* tibi, *et* patri tuo, Viro amplissimo, hunc honorem ex animo. Tu indefessa assiduitate studiis operam navare perge; et, quod nos monuit cl. noster HEUSDIUS, praeceptor tibi dilectissimus, in studiis Philosophicis, *Platonicam* philosophiam cum *Aristotelica* jungendam esse animo ac memoria tene.

Cunctis Academiis, earumque alumnis bene volentes, tibi etiam ornat. THODEN VAN VELSEN! Litt. hum. et Theol. Candidato in Academia Groningana, ex animo gratulamur honorem, quo ornandum te esse Facultas censuit. Lubens igitur tibi do numum hunc aureum: quod eo lubentius facio, quo majore cum voluptate intelligo, quanti tu, Theologiae Candidatus, facias literarum humaniorum et historiae studium. Perge, ornatissime! haecce studia cum Theologicis jungere. Nam dici non potest, quantopere illa valeant ad Theologum formandum. Sic germanus evades sacrarum Literarum interpres prudensque gregis Christiani dux. Quibus votis ut annuat. Deo O. M., enixe precamur.

Tibi igitur, ornat. OVERDUYN! Math. et Phil. Nat. Cand. in Academia Lugduno-Batava, danda fuit palma, quam ob causam numum hunc aureum lubens tibi trado; nam *et* rerum exponendarum ordine delectuque, *et* judicii acumine Facultati magis placuit responsum tuum. Attamen et tuam commentationem ornat. VERVER! qui in Academia Groningana studiis operam navas, honorificâ condecorandam esse mentione Ordo judicavit; imo vero historicâ argumenti expositione eam excellere significavit. Laetus igitur accipias honorificum hoc laudis testimonium. Utrique autem de frigore producendo ita scripsistis; ut vos calere abunde probaveritis. Eodem igitur ardore doctrinis physicis operam navare pergite, totique in eo estote, ut cum historica argumenti expositione judicii acumen jungatis.

Audivisti, ornat. COHEN! quantis Ordo tuam commentationem celebraverit laudibus ob summam diligentiam, magnamque eruditionis copiam, in ea conspicuam! Itaque jure tuo hoc honoris insigne accipe. At praeferendam tamen esse tuam disputationem, praestantissime KRECKE!, idem Ordo judicavit: unde numum aureum tibi trado. Ut igitur, victorum chorum duxit Academiae nostrae civis, ita tu, Academiae nostrae alumnus, agmen claudis. Qua de re cum gaudemus, magnâ simul cum voluptate hac hora intelleximus, cunctarum Academiarum patriarum cives gnaviter studiis operam dare, eosque justâ laudis aemulatione duci. Quae aemulatio ut in illarum disciplinarumque commodum cedat, ex animo optamus ac speramus.

Hisce igitur peractis, unum hoc mihi superest, ut rectionis munus deponam, illudque successori designato tradam. Ex augustissimi igitur Regis decreto te, JANE ACKERSDYK!, in proximum annum, Rectorem magnificum dico, renuncio, proclamo. Adsis igitur, vir clar.! locumque occupes, quem tibi feci vacuum.

Salve jam, magnifice Rector! iterumque salve. Quidquid et honoris et oneris habet Academiae Magistratus, id omne lubens in te devolvo, quaeque bona a Deo tibi ex animo optans. Valetudo sit tibi opportuna, ut munere tuo fungi possis cum voluptate. Experiare Academiae nostrae cives modestos, humanos, faciles in te audiendo, quales ego illos expertus sum, floreatque, te Rectore, Academia Rheno-Trajectina! His tu, Pater coelestis! votis annuas. Gratias Tibi agimus, quas possumus, maximas, pro beneficiis, *cum* in nos omnes, *tum* in Rectorem, munere suo defunctum, collatis. Tu, hocce anno Academico, salvos nos serves incolumesque. Fiat autem voluntas tua, sitque tibi laus, honos et gloria.

DIXI.

LIBRORUM A CL. *HEUSDIO* EDITORUM INDEX:

Specimen Criticum in PLATONEM. *Accedit* WYTTENBACHII *epistola rell.*, Lugd. Batav. 1803.

Oratio de antiqua Eloquentia cum recentiore comparata, Trajecti 1805.

Diatribe in Civitates antiquas in Commentariis Latinis 3^{iae} Classis Instituti Regii, Volumine II.

Oratio de Pulcri amore, Trajecti 1819.

C. W. DE RHOER *gekenschetst, bijzonder als Geschiedkundige*, Utrecht 1822.

Ter nagedachtenis van C. W. DE RHOER *en* W. H. DE BAUFORT, Utrecht 1830.

Initia Philosophiae Platonicae, Trajecti 1827 — 1836, III Voll. Partes 5. Altera editio annunciata est.

Brieven over den aard en de strekking van hooger onderwijs, Utrecht 1829 et 1835.

Een woord uit Zwitserland aan mijne jonge vrienden en leerlingen, Utrecht 1829.

Ad bonarum artium in Academia Rheno-Trajectina studiosos protrepticus, Trajecti 1830.

Aanspraken aan de vrijwillige Jagers, Studenten der Utrechtsche Hooge-School, Utrecht 1831.

Socratische School of Wijsbegeerte voor de Negentiende Eeuw, IV Vol., Utrecht 1834—1839. Alterius edit., quam curat Viri desider. filius natu maximus, jam prodiit Vol. I.

Praefatio ad Bibliothecae Academicae, quae Trajecti ad Rhenum est, Catalogum.

Oratio de naturali artium et doctrinarum conjunctione, alteris celebrandis Academiae Rheno-Trajectinae saecularibus, Trajecti 1836.

Brieven over het beoefenen der Wijsbegeerte, inzonderheid in ons Vaderland en in onze tijden, Utrecht 1837.

Characterismi principum Philosophorum veterum, SOCRATIS, PLATONIS, ARISTOTELIS, Amstelodami 1839.

A CL. *HERINGA El. fil.* EDITI SUNT HI LIBRI:

Dissertatio philologico-Theologica de formulâ Baptismi; quam-praeside v. cl. P. ABRESCH *publico ex. submittit auctor* JOD. HERINGA EL. FIL., Gron. 1785.

Verhandeling ten betooge, dat JEZUS *en zijne Apostelen zich doorgaans niet geschikt hebben naar de verkeerde denkbeelden van hunne tijdgenooten*, in Opp. Soc. Hag. pro vindicanda rel. Christ. a. 1789, et Germ. versa: *Ueber die Lehrart* JESU *und seiner Apostel, mit Hinsicht auf die religiösen Begriffe ihrer Zeitgenossen.* Offenb. 1792.

Vertoog over het vereischt gebruik en hedendaegsch misbruik der Kritiek in de behandelinge der heilige Schriften, in Opp. Soc. Hag. a. 1790.

Oratio de Theologiae in Scholis institutione ad praesentem Reipublicae Christianae conditionem prudenter accommodanda, habita d. 5 m. Junii a. 1794, *cum Theologiae docendae munus in Academia Trajectina publice susciperet.* Tr. ad Rh. 1794.

Leerrede over het betamend gebruik der Vrijheid, naar aanleiding van Gal. 5 : 13, *op den* 8. *van Lentemaand* 1795, *ter vieringe van den, in het land van Utrecht, gehouden Dank- en Biddag uitgesproken. Met een bijvoegsel van Aanmerkingen naar de gelegenheid onzes tijds*, Utrecht 1795, 3de druk.

Eenige liederen van JOD. VAN LODENSTEIN, *behoudens den zin, in taal en schrijftrant, tot aangenamer en nuttiger gebruik, veranderd en op nieuws uitgegeven.* Utr. 1795.

Redevoering ter gedachtenis van STEVEN JAN VAN GEUNS, MATTH. Z. Utr. 1796.

Verhandeling over het rechte denkbeeld, hetwelk de Bijbelschrijvers hechten aan de Koninglijke waardigheid of heerschappij van den verheerlijkten Middelaar JEZUS CHRISTUS, in Opp. Soc. Hag. a. 1797.

Gedenkwaardigheden uit het leven van JESUS — door H. C. BERGEN — *bij den* 2^{den} *druk veel veranderd en voor de Nederl. Christenen met nieuwe prakticale Aanmerkingen vermeerderd, door* JOD. HERINGA EL. Z. Leijden 1798 — 1800. 2 t. Ed. 3^{a} prodiit a. 1804 et 1806, quarta a. 1819.

Briefwisseling over de Godheid van den Heiligen Geest, geh. tusschen den Hoog Gel. Heer J. HERINGA EL. Z. *en den Wel Eerw. Heer* C. VAN HERWERDEN. 1799.

Afgeperste Verdediging, Utr. 1803, 2de dr. *Vervolg der afgeperste Verdediging*, ald. 1803. *Tweede Vervolg der afgep. Verded.* ald. 1804.

G. F. SEILER, *Bijbelsche Uitlegkunde. Uit het Hoogd. Met aanmerkingen en bijvoegselen van* JOD. HERINGA EL. Z. Leijden 1804.

Verhandeling over het bestaan der Engelen, uit de leer en geschiedenis van JEZUS *en de Apostelen afgeleid*, in Opp. novis Soc. Hag. a. 1811.

Ter gedachtenisse van wijlen JAN FREDERIK VAN BEECK CALKOEN, Utr. 1813.

Redevoering over het Godgevallige der ondern. van het Zendel. gen., niettegenstaande de belemmering van derzelver uitvoering, Utr. 1813.

Verklaring der Bergrede van JEZUS, bekroond en uitgegev. door de Maatsch. *Tot Nut van 't Algemeen*, Amst. 1814.

Levensschets van Prof. HENNERT, in den *Alg. Konst- en Letterbode* van 1814.

Wat kunnen Christenen doen ten nutte van Heidenen? Utrecht 1815.

Redevoering ter plegtige inwijding van de Academie te Utrecht, bij hare nieuwe inrigting, uitbreiding en opluistering, op last des Konings, gehouden in de Domkerk den 6. *v. Slagtm.* 1815. *Aanspraak en verwelkoming aan de Studenten enz.* Utr. 1815.

Oratio de rebus, quae Academiae Rheno-Trajectinae, ipso Rectore, acciderunt, prosperis et adversis, dicta publice d. 26 Martii 1816, *quum Academiae regundae munus solenni ritu deponeret.* Tr. ad Rh. 1816.

Paraphrasis et Annotationum in Ep. ad Hebr. Specimen quartum, auctore P. ABRESCH; *editore* JOD. HERINGA EL. F. *qui praefatiunculam et in universum opus indices copiosos addidit.* Tr. ad Rh. 1817.

Tiental Bijbeloefeningen in Leerredenen. Amst. 1818.

Kerkelijke Raadvrager en Raadgever I. d. 1 st. Utr. 1819. 2 st. ald. 1821. II. d. 1 st. ald. 1825. 2 st. ald. 1826. III. d. 1 st. 1828.

Levensschets van M. VAN GEUNS *in Algem. Konst- en Letterbode van* 1819.

Brieven aan jongelingen, geschreven door J. C. LAVATER, *uit het Hoogd.* 2e uitg. *door* JOD. HERINGA EL. Z. Amst. 1820. 3e uitg. ald. 1834.

Oratio de Auditorio Academiae Rheno-Trajectinae, variam olim fortunam experto, nunc praesenti ejus conditioni adaptato, dicta publice d. 25 *Martii* a. 1825, *quum Academiae regundae munus tertium poneret, novumque auditorium inauguraret. Accedit Annotatorum copia*, Tr. ad Rh. 1826.

Tiental Leerredenen ter aanprijzing van Christelijke deugden, Amst. 1826.

Raad en aanmoediging tot biddend werken en strijden, ten nutte van het bedreigde Vaderland: voor de Utrechtsche gemeente, en bijzonder voor de Kweekelingen der Hoogeschool, in twee Leerredenen, Utr. 1830.

Leerrede naar Ps. LXXVII.: 12a, in Akad. Vaderlandsche Leerredenen, Utr. 1831. bl. 57—86.

De Twistzaak van den Hoogl. JOH. MACCOVIUS *door de Dordrechtsche Synode, ten jare* 1619, *beslecht*, in *Archief voor Kerkel. Gesch.* enz., van de Hoogl. KIST en ROYAARDS, Leiden 1831 d. III. bl. 503—664.

Beoordeeling van de nieuwe Uitgave der Prolegomena in N. T. van JOH. JAC. WETSTEIN, in *Godgel. Bijdr.* 1832 d. VI. bl. 781—849.

Levensberigt en karakterschets van wijlen den Hoogl. JEAN HENRY PAREAU, in *Archief voor Kerkel. Geschied.* enz. 1833. *d.* IV. bl. 253—319. Invenitur etiam, ex parte, in *Alg. Konst- en Letterbode*, 1833.

Bijzonderheden, betreffende de vervaardiging van de gewone Nederl. Bijbelvertaling, (meest uit schriftelijke bescheiden,) en onuitgegevene brieven en stukken, als bijlagen tot de voorgaande Verhandeling, in *Archief* enz. 1834. d. V. bl. 57—202.

Berigt aangaande zeven stellingen, betreffende Formulieren van Eenigheid des geloofs in de Nederl. Herv. Kerk, enz., Utr. 1834.

Disputatio de LUDOV. CASP. VALKENAERII *sententia, qua Interpraetes N. T. Belgae doctorum virorum conjecturas, nullo etiam Codice confirmatas, in versionem suam recepisse dicuntur*, lecta d. XIX. m. Oct. a. 1835. ins. vol. VI. *Commentt. Lat.* Classis 3ae Instituti Regii Belgici, 4o.

Berigt aangaande de Utrechtsche vereeniging tegen het gebruik van sterke dranken, Utr. 1835.

Beknopt verslag der viering van het tweede Eeuwfeest der Utrechtsche Akademie, op den 12. Junij 1836 en de vijf volgende dagen. Invenitur in *Alg. Konst- en Letterbode*, 1836. Unde hausta relatio repetita est in: *Utrechtsche Studenten-Almanak* 1837. p. 115 sqq.

Voorlezing over de godsdienstigheid der Nederlanders, bij de grondvesting van hun Gemeenebest, blijkbaar uit hunne gedenkpenningen; in opere: P. O. VAN DER CHYS, *tijdschrift voor Munt- en Penningkunde*, VIIde stuk, Leiden 1836.

Levensberigt aangaande wijlen den rustenden Hoogleeraar GABRIEL VAN OORDT, in *Alg. Konst- en Letterbode* a. 1837.

Rapport van de Commissie tot de Joden, uitgebragt in de buitengewone vergadering van het Nederlandsche Zendelinggenootschap, den 18. Julij 1839. Quod tamen publici Juris non factum esse videtur.

CL. *SUERMANNUS* HAEC SCRIPTA EDIDIT:

Responsio ad quaesitonem physicam, ab ordine nobil. Mathes. et Philos. nat. iu Academia Lugduno-Batava a. 1829 *propositam:* « *Exponantur ac dijudicentur variae cum observandi, tum computandi* « *rationes, quibus quantum vaporis aquei in atmosphaera, vel aëre quocunque contineatur, determinari possit.* » In *Ann. Acad. Lugduno Batavae*, a. 1829 — 1830. Lugd. - Bat. 1831.

Verslag van de wapening en den uittogt der Utrechtsche Studenten in 1830, in *Utr. Stud. Alm.* a. 1831. p. 109 — 190.

Verrigtingen en lotgevallen der Vrijwillige Jagers, Utrechtsche Studenten, sedert hunnen uittogt uit Utrecht, tot het einde des jaars 1831, ibid p. 89 — 229.

De Cholerae Asiaticae itinere per Belgium septentrionale, a. 1832 — 1834. *tabulis statisticis et geographicis illustrato.* Trajecti ad Rhenum 1835.

De calore fluidorum elasticorum specifico, Tr. ad Rh. 1836.

De methode philosophica, qua doctrinae physicae et medicae tractandae sunt, in *Ann. Acad. Rheno - Traject.* $1836/37$, p. 59 — 64.

Expériences sur la Chaleur spécifique des Gaz et de l'Air à pressions différentes. In *Annales de Chimie et de Physique, par MM.* GAY - LUSSAC *et* ARAGO. Paris 1836. Tome 63. p. 315 seqq.

Quaestiones (XXII) *argumenti Obstetricii*, quas — pro gradu Doctoratus summisque in arte obstetricia honoribus et privilegiis, — consequendis defendet A. C. G. S. Math. Mag. Phil. Nat. et Med. Doctor, d. 3 Dec. 1838. Tr. ad Rh.

Quaestiones (XX) *argumenti Chirurgici*, quas — defendet A. C. G. S. d. 22 Dec. 1838.

Oratio de Medicina, doctrinarum physicarum ope, nostra imprimis aetate, perficienda. Tr. ad. Rh. 1839.

HENRICI EGBERTI VINKE ORATIO.

RES ACADEMICAE

ADDITAMENTUM ORATIONI RECTORIS.

ANNO MDCCCXXXIX — MDCCCXL.

ANNO MDCCCXXXIX.

Die 2 Aprilis. Cum Senatu communicatur decretum Regicum d. 1 Martii 1839, n°. 80, latum, quo vir Doctissimus ALEXANDER CAROLUS GUILIELMUS SUERMAN, Medicinae Professor ordinarius creatur in locum viri Clarissimi WOLTERBEEK, honorifice rude donati.

Eodem die. Accipitur ab haeredibus Clar. MOLLII effigies picta viri desideratissimi; in senaculo consideranda.

Die 17 Junii. Legitur epistola viri Excell. qui internis Regni negotiis prae est ad amplissimos viros curatores missaa, qua praecipitur, ut inde ab initio anni 1839, res academicae describantur secundum annum civilem, non, quem admodum ante, secundum annum academicum.

Die 18 Junii. Vir Doctissimus A. C. G. SUERMAN, Medicinae Professor nominatus in senaculo jusjurandum Professoribus praescriptum praestitit. Deinde vir Nobilissimus VAN DER CAPELLEN, Curatorum amplissimorum Praeses, viro Clarissimo WOLTERBEEK, nunc honorifice rude donato gratias egit pro munere academico per viginti duos annos feliciter gesto; quo facto amplissimi curatores Clar. A. C. G. SUERMAN in cathedram deduxcerunt, ex qua feliciter dixit de Medicina doctrinarum physicarum ope, nostraa imprimis aetate perficienda.

Die 28 Juuii. *Vexilla Cohortis Academicae*, quae in Belgarum insurrectione pro patria sponte arma gessit, ex decreto Regio, Senatui Academico in auditorio Academiae majori fuere tradita, solemni ritu, cujus descriptio adest in diario *de Algemeene Konst- en Letterbode* ad annum 1839.

Die 15 Julii. Senatus amplissimus Principem Arausiacum cum uxore, hodie in urbe praesentem, ore viri nobilissimi Curatorum praesidis VAN DER CAPELLEN, salutavit ocui salutationi princeps humaniter respondit.

Die 9 Augusti. Tristissimum nuncium accepit Senatus, de morte inopinata Clar. VAN HEUSDE, ferarum hoc tempore Genevae versantis. Eximii viri merita in oratione Rectorali celebravit Clar. VINKE et scriptorum viri optimi indicem adjunxit.

Die 21 Octobris. Civitatis Rheno-Trajectinae Magistratus, Academiae semper egregie favens, novum, sumptibus suis constructum cubiculum, huic in usum curatorum et Senatus concessit, debitasque de hoc dono gratias accepit.

ANNO MDCCCXL.

Die 20 Januarii. Denuo graviter afflicta luget Academia propter obitum Clar. J. HERINGA ELIZAE FILII qui proptem aetatem septuagenariam ante paucos annos honorifice rude donatus, Professoris munere apud nos per 45 annos functus, inopenata morte fuit entinctus. Egregium virum in rectorali oratione laudavit clar. successor, nunc Academiae Rector Clar. VINKE et operum clar. defuncti indicem orationi addidit.

Die 20 Januarii. Accipitur porro a Clar. HEUSDII vidua viri clarissimi imago picta, quae, gratiis actis, in senaculo deponitur.

Die 11 Februari. Rector cum Senatu communicat iterum gra*a*issimam jactaram fecisse Academiam nostram. Clar. ALEXANDER CAROLUS GUILIELMUS SUERMAN, qui ante hos septem menses demum munus academicum, habita oratione inaugurali, fuerat auspicatus, in eodem exercendo gravissimo morbo epidemico correptus tristissimo fato obiit. Clar. viri vitam et labores eruditos in oratione sua etiam exposuit Clar. Rector et indicem scriptorum addidit.

Eodem die. Rector cum Senatu communicavit decretum Regium, quo vir Doctissimus SIMON KARSTEN, hactenus scholae Amisfurtensis Rector, Professor ordinarius in hac academia creatur loco Clar. HEUSDII defunct, Clar. vero AKKERSDYCKIUS hactenus Professor extraordinarius, nunc ordinarius constituitur, historiam medii aevi et serioris aetatis docturus, pariter loco Clar. HEUSDII.

A. C. G. SUERMAN

ORATIO

DE

MEDICINA, DOCTRINARUM PHYSICARUM OPE, NOSTRA IMPRIMIS AETATE, PERFICIENDA,

HABITA

DIE XVIII JUNII MDCCCXXXIX.

QUUM

ORDINARIAM MEDICINAE PROFESSIONEM IN ACADEMIA

RHENO-TRAJECTINA SOLENNI RITU AUSPICARETUR.

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!
QUIQUE ILLIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI; NEC NON LECTORES DOCTISSIMI!

QUOTQUOT PRAESENTIA VESTRA HOC SOLENNE CONDECORATIS, VIRI PUBLICA AUCTORITATE, DOCTRINAE LAUDE, NATALIUM SPLENDORE IN PATRIA NOSTRA, VEL IN HAC POTISSIMUM PROVINCIA, VEL URBE CONSPICUI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM DOCTRINARUMQUE DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI!

JUVENES, LITERARUM DISCIPLINARUMQUE STUDIIS OPERAM DANTES, EXOPTATISSIMI, COMMILITIONES AMICISSIMI!

CIVES DENIQUE ET HOSPITES, SUO QUIQUE, LOCO HONORANDI!

Nescio profecto, quibus animi affectibus commovear, quum, juvenili hac mea aetate, in hunc me locum delatum videam, qui genuinis demum doctrinarum antistitibus destinatus est.

A teneris inde, medias inter institutiones academicas educatum, earum adeo me cepit reverentia, ut suspicere hanc cathedram sponte discerem. Juvenis autem intellexi, me recte sensisse; literarias enim universitates esse veluti sacraria, quae doctrinarum facem alendi, conservandi, splendoremque augendi sancta tenentur obligatione; vestrum ordinem, Viri cll.! esse sacerdotalem quendam, cui grave incumbit officium, facem illam patriae nostrae, imo integrae praeferendi humanitati.

Quae cum de academiis universe statuam, facile judicatis, A. A.! quid imprimis de hac, quam *nostram* appellare gestio, Musa Trajectina meo stet animo. Huic enim, veluti carissimae matri, quae ex uberrimo doctrinarum fonte me aluit, qui sim et qualis, maxime debeo.

Ea singula mecum reputantis quales, ipsa hac hora, meos esse animi sensus, existimatis, A. A.? Scilicet jamnunc memet ipsum, mediocri sane doctrina juvenem, venerabili illi, quem dixi, ordini adscriptum video. Postquam, paucis annis ante, tristis huic almae matri vale dixeram eidem in integram, si Deo optimo placeat! vitam devinciri mihi contigit. Quod autem majus etiam est, provincia, quae Viro, et eruditione, et experientia consummato, eidemque praeceptori aestumatissimo mandata modo fuerat, quaque gravior cogitari vix potest, nunc mihi suscipienda est.

Quid autem plura? Quo sim animo, Vosmet ipsi, A. A.! inter quos medios vixi, melius sentietis, quam ut explicem ego. Aliud nunc incumbit mihi, idque gravissimum officium. Festo hoc die nova mihi auspicanda est

dignitas. Solenniter, coram splendido hocce eruditissimorum Virorum conventu, mihi declarandum est, quid Vos de me exspectare possitis. Arduum profecto negotium! Anxie propterea quodnam prae caeteris argumentum, solenni hac opportunitate, tractarem percunctanti, sponte fere et constanter ante mentis oculos observabatur egregium illud, quo naturae studia ac Medicina junguntur, commune vinculum. — Quid? ita enim mecum cogitabam, viam te indicare fas erit, quam, in difficili disciplina tradenda, sis ingressurus? Age! Eandem docendo exprimere tentes, quam discenti in hac Academia tibi indicatam esse gaudes. — Neque igitur a studiis meis, aut ab ipso, quod jam auspicor, munere alienum, neque hujus loci splendori contrarium, aut vestra, A. A.! animorum attentione indignum fore putavi, si dixero *de Medicina, doctrinarum physicarum ope, nostra imprimis aetate, perficienda.*

Favete linguis animisque, A. A.! et benevolentia vestra, cujus etiam atque etiam indigeo, me, dicendi artis rudem et inexercitatum, sustentate.

Nemo veri nominis Medicus est sine universi cognitione. Ita HIPPOCRATES apud PLATONEM verissime pronuntiat. Naturalis enim prorsus est utriusque scientiae necessitudo. Medicina adeo ad doctrinas physicas latiori sensu pertinet. His enim integer mundus externus exploratur, cujus ipse homo choregus habetur, cum partes omnes admirabili quadam contineantur harmonia, a divino naturae Auctore constituta. Medicina autem propter consilium suum peculiare ab iis distingui solet.

Hoc Medicinae consilium est, quod maximam ipsi inter doctrinas physicas praestantiam tribuit. Quodnam enim argumentum scientia humana dignius, quam ipse homo? aut, quo proposito natura utilius exploratur, quam ad hominis salutem adjuvandam? Pulcrum est ac sublime, nexum ostendere inter varia systematis nostri cosmici corpora ac suas singulis orbitas mathematica ratione praescribere. Admirabile est, primitivam ipsius, quem habitamus, planetae novisse fluiditatem et formationem lentam, habitationemque ex stratorum fossiliumque examine, tamquam testimoniorum historicorum fide, colligere. Verum divinum prorsus illius habeatur studium doctrinae, quae spectat hominum conservationem integritatemque physicam.

Quod ut locum obtineat, ex universa natura, *apis Matinae more modoque*, Medicina delibat alimenta. Imo vero Philosophiae naturalis inventis novam ea tribuit praestantiam, ab egregio eorum usu petitam. Non quidem Physicus, quid utile sit arti, quaerit, sed quid verum. Ita profecto summo ardore omnem perscrutatur orbem, integrum lustrat mundum, indefatigato studio in hac veri quaerendi via procedit, analogias detegit remotissimas et tandem ad generalium causarum adscendit indagationem. At vero, post inventum verum, sponte quaestio oritur, quid ad nos illud faciat? quid ad humanae societatis cultum? quid ad singulorum hominum felicitatem? Haec autem quaestio Medicinae imprimis solvenda incumbit, cujus est per hominis ac naturae cognitionem tendere ad generis humani salutem tuendam.

Quodsi igitur verum sit, est autem verissimum, omnem naturae cognitionem homini eo magis esse optabilem, quo ipsius felicitati plus conducat, Medicina singularem quandam sibi atque propriam vindicat dignitatem. — Quid autem? sic enim unum alterumve occurentem mihi audire videor, sit omnino, si propositum spectes, princeps doctrinarum physicarum Medicina, at vero, si scientiam, ultima est, quin ne hoc quidem nomine appellanda. Ecce continuam systematum fluctuationem, quorum alterum alteri, undarum maris instar, succedit Audi diversas medicorum opiniones, unum eundemque morbum a virium vel excitatione, vel depressione, aliave causa quacunque derivantes. Vide, quam diversa curandi methodus ad unum saepe eventum ducat. Nae, nimis abditi sunt naturae recessus, quam ut in eos penetret ingenium humanum. Laudanda sit Medicinae voluntas, at desunt vires.

Fateor equidem, magnis difficultatibus doctrinam premi, cui complicatissimae de vita atque organismo, a norma aberrantibus, quaestiones solvendae sunt. Fateor, et vulgi opiniones, et vanas hypotheses artem praestantissimam saepenumero contaminasse atque, in generis humani detrimentum, contaminare adhuc. Num autem vera Medicina his innititur? Male profecto sic consuleretur homini! Alia est divinae artis origo ac fides. Originem enim traxit ab observatione diligenti, longaque experientia. Fidem autem praestat illa naturae constantia, quam, utpote firmum Medicinae fundamentum, hoc ipso e loco, ante septennium, vindicari meministis. Sic ergo, simplex ea atque pura, jam maxime homini est salutifera, *Ars empirica* vere dicenda.

Accedit autem ad aegrotorum observationem ipsius observatio naturae. Qualis sit terrae generum, aquae, qualis atmosphaerae imprimis in hominem efficacia, explorat Medicus. Botanica plantas ipsi indicat salutiferas. Chemia efficacissima praeparat remedia. Anatomia partium situm ac formam docet. Physiologia earundem functiones exponit. Haec profecto, haec ea est naturae contemplatio, quae, ex CELSI effato, *quamvis non faciat Medicum, aptiorem tamen reddit Medicinae.* His adminiculis instructa, *Empiria* existit *rationalis*, verus artis codex, quo primum edito Medicinam doctrinae loco constituit antiquitas Graeca.

Sufficerent haec, ut conviciis de incerta Medicinae ratione silentium imponeretur. Verum et ultra nostra procedit aetas. Medicinam ipsam multiplici illa ratione ac via, qua reliquas doctrinas physicas, vel et harum ope excolere tentavit. Non solum adminiculorum quorundam instar, quae nos ad Medicinam praeparent, haberi coeperunt, sed exemplorum, quae ipsam ducant ac dirigant. Non alimentum Medicinae praebere satis habuerunt; sed ipsae, alimenti euchymi loco, in succum et sanguinem ei conversae sunt. Medicinae ergo non additae, sed in ipsam introductae, hanc incredibili jam studio ad suam ipsarum certam rationem erigere tendunt. Hinc remedium petitur ad vulgi opiniones, nec profano tantum vulgo, sed medicorum quoque plebi familiares, quae simplicem empiriam foede conspurcant. Hinc, de quibus VERULAMIUS ille monet, plumbum et pondera, quae rationem a vano volatu retinent, ab Icariis illis conatibus, ad quos non medicorum plebs, sed principes adeo et optimates, in suum artisque damnum, sunt proclives. Ita obstacula, quae Medicinae perfectionem maxime impediunt, removet Philosophia naturalis. O felicitatem nostrorum temporum, quae nobilissimae arti dignitatem scientiae tribuit et obscuras illas nebulas dispellit, quibus in aeternum obvoluta videbatur! Explicemus autem, quomodo eo processerit Medicina.

Immensos nostro tempore doctrinae physicae progressus fecere. BACONE VERULAMIO duce, ad rationem adeo certam pervenere, ut *disciplinarum exactarum* nomine κατ' ἐξοχὴν appellarentur. Imo vero propterea a multis, nostro saeculo, pro germanis habentur doctrInarum exemplis, quae reliquas quantumpote imitando exprimere oportet. Quid disquisitiones historicas aut philosophas memorem, quae hypotheses vagas atque artificiosam systematum

constructionem fido rerum factarum examini atque accuratae analysi postposuere? Quid doctrinas politicas, quae Statistices imprimis, i. e. scientiae physicae atque arithmeticae cultu florent? Mirumne igitur est, Medicinam, quae ipsa Philosophiae naturalis pars est ac finis, hanc eandem sibi elegisse viam?

Non autem simul semelque integra naturae scientia perfici coepit. Memorabile est, historice investigare, quomodo ab objectis remotissimis ad proxima, ab astris ad terram, ad regnum organicum, ad ipsum hominem magna illa doctrinarum instauratio lente processerit. Ab Astronomia sic ad Physicam pervenit, dein ad Chemiam, tandemque genuit Physiologiam. Quam vellem Vobiscum continuos hosce doctrinarum physicarum progressus persequi, a KEPLERO et GALILEO ad BOERHAAVIUM et HALLERUM, ab HALLERO ad nostra tempora! Quam vellem febrem illam ardentem depingere, in quam cum, superiore memoria, per idealismum SCHELLINGII incidisset Physiologia, nunc denuo convaluit doctrinarum physicarum ope atque cura! Quam juvaret Europam peragrare, ad novas Physiologiae empiricae scholas visitandas, quin imo trans Oceanum in novo Mundo easdem conspicere, laete florentes! Egregium praebet spectaculum videre, quomodo Physiologia, potentissimis Physices ac Chemiae adminiculis munita, inventa quotidie inventis cumulet. Suadent autem horae, quibus contineor, limites, ut ad ipsam me convertam Medicinam.

An igitur existimetis, eam, Physiologiae adeo affinem, in mediis his progressibus otiosam sedere potuisse? Non potuit profecto, A. A.! Videamus ergo, quid hodieque agat? Vel fallor, vel manifestum erit, illam, eadem ratione ac Physiologiam, doctrinarum physicarum ope et perfici et ulterius esse perficiendam.

Constat, antiquos medicos observandi studio maxime excelluisse. Ad naturae enim fidem morborum imagines exprimebant et veluti pingebant. Nostra autem aetate non pingit tantum Medicina, sed et analysin ad observandum adhibet. Accurata physicorum ratione, singula morborum symptomata explorat. Novis adeo viis ac rationibus signa eorum physica, chemica, anatomica determinat. Quaeritis documenta? Tot et tanta undique confluunt, ut praecipuis quibusdam momentis obiter indicandis me continere debeam.

Quid signa physica valeant in examine aegrotantium, nos docuit schola clinica *Caritatis*, quae Parisiis habetur. Ibi enim exculta maxime est Acustica

medica, quae ex sonis pectoris percussi, respirationis, aut cordis pulsationibus ad horum organorum statum concludit, perinde ac si in intimum ipsorum mechanismum penetraret. Duplici ratione perficitur, percussione et auscultatione. *Illa* quidem, dimidio saeculo ante Viennae nata, in artem non recepta fuit, nisi CORVISARTI, celeberrimi NOPOLEONIS archiatri, auctoritate. *Hanc* autem ut exerceret, Stethoscopium Medicinae obtulit CORVISARTI discipulus, magnus ille LAENNECUS. Quam amplificatus inde fuit campus observationis! Oculus antea et digitus morbi examen absolvebant. Nunc admissa etiam auris est. Sonorum medicorum accurata observatio linguam constituit, quam diligens intelligit observator. Auris exercenda, prouti oculus. Imo de aure practica sermo est, uti de oculo.

Vereor, A. A.! ne patientia vestra abutar, si reliquas rationes physicas, explorationem, mensurationem, alias, vel brevissime, perstringam. Inclaruerunt iis et alii, et imprimis in laudata illa *Caritatis* clinica acerrimus BOUILLAUD. Earum autem constantia et ratio accurata effecere, ut, *inter labores et taedia*, anxie tamen ab optimis observatoribus determinarentur.

Praeter signa physica, quanta a recentiori Chemia exspectanda sunt! Chemiam dico, qua non alia scientia interius in materiae naturam penetrat. Neque tamen eam doctrinam volo, quae, facta egregia a LAVOISIERIO reformatione, Medicinae continuo theoriam praebuit, elegantem illam et ab omni parte teretem, sed levem, brevique, meteori instar, evanescentem. At Chemiam intelligo, quae, prudenti instituta analysi, producta morbosa cum sanis comparat, itemque phaenomena corporis aegrotantis chemica explorat. Accurata hac ratione de varia functionum aberratione explicanda bene meretur. Talis est nostri temporis ratio. Dolemus quidem, nec diffitemur, pluribus adhuc difficultatibus analysin organicam premi. Si vero a studio, quo ipsis hisce diebus excolitur, augurium capiamus, non desperandum esse constat, plenos eam aliquando arti salutiferae fructus allaturam esse.

Quid autem Anatomia jam valet ad Medicinam? Tantum valet, A. A.! ut eam fere reformaverit. Quid? quod nimiam ejus vim subinde prudentiores reformident medici. Anatomia nempe normalis primum est et princeps Medicinae adminiculum, pathologica vero praecipuus fons, unde morborum naturae intelligentia hauriatur. An miramini, me hanc doctrinam tamquam nostrae aetatis praedicare prolem, quum vel per plura saecula jam fuerit

culta? Non novum scilicet est inventum, sed tanto acriori nunc et severiori studio excultum, ut pro novo haberi possit. Testor, laudatam jam supra, scholam clinicam Parisiensem, testor DUPUYTRENI discipulum, CRUVEILHIERIUM, ANDRALLIUM, LOUISIUM, testor in Anglia scholam HUNTERI, CARSWELLIUM, BRIGHTIUM, in Germania MECKELIUM. Nubes adeo testium adsunt. Nemo enim Medicus scientiam suam hodieque excolere videtur, nisi qui tributum veluti solvat Anatomiae pathologicae. Hanc adeo morbi testem, lucem veritatis, artis ducem ac judicem appellare solent.

Neque formo tantum organorum morbosorum quaeritur, sed, quod longe est utilius, intima structura. Sic extitit Anatomia pathologica subtilior, ab hac cathedra ante aliquot annos strenue commendata; neque commendata modo, sed et novis inventis aucta egregie et exornata. Huc artificiosae faciunt injectiones, huc imprimis, si quid video, praeclarissimum illud Physices donum, Microscopium. Vos omnes, A. A.! delectati estis et in admirationem adeo rapti, quoties oculus vester, hujus instrumenti ope, ad naturae admittebatur miracula, mundumque incognitum, vivum illum atque animatum, in aquae guttula conspiciebat. Physiologo autem ac Medico novum hinc existit organon. Sic enim ad minimas illas partes penetrat, in quibus omnes mutationes et physiologicas, et pathologicas perficit natura. Neque hoc, quamvis magnum et praeclarum, sufficit. Idem enim instrumentum, stupendum in modum, micrometricas illarum partium perficit mensuras. Nec minus hisce temporibus chemicum factum est adminiculum Nempe cel. RASPAIL microchemicas docuit operationes, quibus, ut ait, laboratorium chemicum integrum transtulit in breve illud paucarum linearum spatium, quo objecta microscopica continentur.

Quot memoranda essent inventa praeclara, A. A.! si vel praecipua modo, hac ratione facta, recensere vellem! Novae enim, ut intelligitis, doctrinae inde exortae sunt: Anatomia, Chemia, Physica pathologicae. Erant hae veteribus vel incognitae, vel jacebant rudes et incultae; nostram autem et gloriam efficiunt et stabiliunt auctoritatem. Una duntaxat desideratur etiamnum Physiologia pathologica. Haec autem sponte sua orietur, postquam novus ille et late patens observationis campus satis diu fuerit excultus, ut tuto conclusiones admittat generaliores. Sic Pathologia Physiologiam proxime sequitur, quam eadem cultura nunc laete florentem vidimus. Nonne

fausta hinc utrique doctrinae fata praenuntiare nobis licet? Quo enim arctiori jungentur vinculo, eo quoque magis perficientur. Ita demum ad Medicinam physiologicam perveniemus, quae verus est doctrinae nostrae finis.

Quid autem, ita fortasse aliquis me reprehendat, tu de futura aliqua loqueris Medicina physiologica, quae scilicet nunc demum gignatur, nec lucem sit adspectura, nisi post exactum tempus matura? Nimium sane felix sis, tua si bona noscas. Talem nobis jam dudum contigisse tu ignoras! Quid? Magnum illum in Gallia Medicinae reformatorem, cujus obitum etiamnunc lugemus, tu non meministi veterum ontologiam, quam dicebat, audacter discutere, Anatomiam vero ac Physiologiam sui juris reddere! — Lubens vel ipse profiteor, multa esse et egregia, quae BROUSSAISSIO debeamus. Impulsum ille Medicinae dedit, quo, temperato atque prudenter restricto, nunc etiam movetur. Si vero de Physiologia quaeramus, quam in artem inducere tentavit, profecto, tenuis ea est et hypothetica, nostroque aevo indigna, ad generalia quaedam temere magis, quam feliciter evolans. Triste profecto documentum est, Medicinam theoreticam, aetate nostra, ea adhuc fuisse infirmitate, ut systematis cujusvis vani illecebris et capi posset et in eo acquiescere.

Merito autem melior jam exspectatur Medicinae periodus a prudentiori Physiologiae ac Pathologiae conjunctione. Anne etiam altera illa et praecipua ejus pars, quam a sanando Iamatologiam vocant, inde proficiet? Medicamentorum in organismum vitamque actio per experientiam quidem unice cognosci potest, non autem intelligi nec explicari, nisi Chemiae et Physiologiae illustrata luce. Hoc nostris diebus, auctoribus MITSCHERLICHIO, aliisque, tentari coepit. Quanta hinc tenebrarum depulsio exspectanda! Empiriae enim soli si committatur, in labyrinthum fere abit materia medica, quo confusior aut intricatior ne cogitari quidem potest. O utinam filum Ariadneum Medicinae Philosophia naturalis donet, quo ex hisce Daedaleis anfractibus sese expedire possit!

Hi fere sunt, qui a doctrinarum physicarum introductione in Medicinam et provenere fructus, et ulterius exspectari possunt. Pulcros eos esse et eximios negabitis A. A.? Culpent alii, Vos profecto eos laudabitis, qui Musarum estis vel Maecenates eruditi, vel interpretes clarissimi, vel amantissimi juvenes. Etenim sic demum Medicina ad scientiae praestantiam evehitur, doctrinis physicis dignam. Num vero

praxis inde utilitatem capiet? BAGLIVUS, celeberrimus saeculo XVII Romae medicus, in Medicina theoretica Iatromathematicorum solebat rationem sequi, quippe quae hujus aevi scientiae apprime conveniret. Prudenter autem distinguendum esse inter Medicinam theoreticam ac practicam, docuit et in hac factitanda omni ex parte HIPPOCRATEM secutus est. Nos autem num BAGLIVUM hac in causa imitari oportet? Major est profecto nostra felicitas, qui theoriam praxi plenius in dies comprobari cernimus. Experientia quidem leges therapeuticas et prima tulit, et perpetuo est latura. Multi adeo recentiores, in Gallia imprimis, male sibi suisque consulunt aegrotis, scientiam medicam solummodo amplectentes, haereditatem vero paternam, empiriam rationalem, ingrati rejicientes. Salutiferam illi artem, quam altera manu egregie ornant et augent, altera misere nudant. Cogitent ergo CELSI illud: *non post rationem inventam esse Medicinam, sed post inventam Medicinam rationem esse quaesitam.* Veruntamen Medicinae theoriam, qualis quidem hodie excolitur, ipsi demum rationem certam, lucemque praebere, mihi consentietis.

Aliam alii viam nuper inierunt, ut experientiae, quae saepe ipsa secum pugnare videtur, certam praescriberent normam. Mirabile dictu! Mathematica excogitata est ratio, et experientiae tamquam dux oblata et praeposita. Arithmeticam volo methodum, a calculo probabilitatis ductam. In schola Francica frequenter sedet, tamquam suprema multarum quaestionum practicarum judex. Num jure? dubitari omnino possit. Sunt quidem quaestiones medicae, quae non nisi calculo solvi possint. Attamen in praxi facilius perversum in usum, quam in germanum rectumque ducitur, nec prodesse potest, nisi accedat lux Medicinae theoreticae. Docet autem haec calculi applicatio illustri exemplo, quanto studio, imo temerario subinde, Medicina ad normam disciplinarum exactarum, quae vocantur, componi nitatur.

Quacunque igitur ratione experientia procedat, indiget Medicinae theoreticae luce atque ope. Scio equidem, singularem quibusdam medicis fuisse ingenii felicitatem, qua scientiae defectum compensarent. Scilicet instinctu quodam dicam, an innato observandi studio abditas naturae actiones divinabant, imitabantur, ducebant. Haec autem dos est paucorum duntaxat hominum, nec nisi usu longo, artis instar, excolenda. E contrario scientia non paucorum hominum, sed humani generis propria est possessio. Eo igitur

praestantior, eo utilior, eo foecundior erit ars medica, quo interius scientiae praeceptis et constantia sit imbuta. Ars et scientia, theoria et praxis duo sunt flumina, quorum cursus perpetuo magis magisque ad se invicem accedunt. Canales jam multi, sed separati, utriusque miscent aquas. Ubi vero cunjuncta erunt, unum efficient latissimumque flumen, per quod et cito, et tuto, et jucunde ad nostros pervehemur fines, ad tuendam humani generis salutem.

Talis autem conjunctio locum non obtineat, nisi Philosophiae naturalis ope Medicina perficiatur. Mater ea est et artium omnium technicarum et vero splendidissima Medicinae lux.

O divina Scientia, quae supra vulgi opiniones aut vanam superstitionem nos evehis! Tu hominem rerum causas docuisti, tu, pro inexorabili tua severitate, semper tibi constas, neque mortalium flecteris aut mutabilitate, aut affectuum impetu.

Ipsa, simplicis artis instar, ab initio, humanum educasti genus, donec, post saeculorum decursum, adscenso doctrinarum throno, hominem vicissim naturae constitueris moderatorem. Tuo enim ductu fulmen Jovi ille eripuit, et vel in intimam penetravit terram, ut abscondita proferret metalla. Tuo ductu in aquas descendit, vel audax per latum tendit Oceanum, vel, aquilae instar, ad atmosphaerae se tollit limites. Tu denique, quod summum est, humano generi consulis. Hominem a diris morbis liberas et tristibus illis ingenii catenis exsolvis. Tuo adspectu atrox febrium cohors aufugit et ipsa perterretur pallida mors.

Te colimus, aeternumque colemus, nobilissima Scientia! divinae animae aura, ab ipso summo Numine nobis tributa! Tu a natura omnem removes feritatem, tuoque beneficio, tamquam liberi dilecti, in blando illius fovemur sinu. Perge nos illustrare, insigne benigni Dei donum! celsissima ingenii humani proles! et magis magisque nos augeas potestate mentem sanam in corpore sano servandi! Armis nos instruas, quibus vitam tueamur, ut jam in hoc orbe terrestri humanam in dies magis et felicitatem provehemus et perfectionem!

Accedo jam ad alteram argumenti mei partem, propter quam solemnem hunc imprimis mihi exoptavi diem. Quid enim grato animo esse potest jucundius, quam publice ejus proferre testimonia?

Ad Vos igitur primum mea se convertit oratio, Viri amplissimi! qui Regi augustissimo fuistis auctores, ut in honorificentissimum hunc locum eveherer. Tantane vestra esse de me exspectatio poterat, ut juvenem munere honoraretis, quod diuturnae demum experientiae viris deferri soleat? Eam tamen in me fiduciam habuistis, Viri amplissimi! Cui ego quomodo respondeam, frustra quaero. Ergone deprecari honorem me oportuerat? Impium putavi almae Academiae, cui tanta debui, nom integram, si quaereret, vovere vitam. Num vero vestra imploranda indulgentia? Multum profecto hac equidem nitor, nec, si mihi defuisset, unquam in amplissimum hunc locum adscendere ausus fuissem. Vos autem jure postulatis, ut oblatum munus pro Academiae dignitate vindicetur. Itaque unum mihi restat, ut juvenilem ardorem in illo obeundo ponam. *Trahimur omnes laudis studio et optimus quisque gloria ducitur.* Quo profecto stimulo me maxime nunc excitari sentio, quum tantam mihi laudem a Vobis tributam videam. Hoc igitur Vobis persuasum habeatis, Viri amplissimi! me per integram vitam religiose esse provisurum, ne Vos unquam consilii vestri poeniteat. Quod si sincere praestitero, vestram mihi benevolentiam nunquam esse defuturam et spero, et confido.

Vos autem quum intueor, Viri clarr., Professores eruditissimi! nonne imo me pectore commotum esse probetis? Collegas enim nunc salutare mihi contingit, quos vel praeceptores carissimos, vel germanos doctrinarum antistites suspicere adhuc solebam. Quod si mecum reputo, nescio equidem, num major mihi spes sit, ut vestra eruditione meum in dies firmetur ingenium, quam ut humanitate augeatur felicitas. Vestram enim amicitiam non rogo, nec expeto. Ultro mihi juniori dextras obtulistis et timido addidistis animum. A quo die ab augustissimo Rege mihi decreta erat nova dignitas, continuo in gratam vestram et consuetudinem, et familiaritatem me recepistis. Omine ergo fausto ad Vos accessisse mihi videor. O utinam tanto me dignum praestem favore! Pergite, precor, eodem benevolo me prosequi animo! Fidem meam et observantiam constantem Vobis spondeo.

Inter Vos autem conspicio, quos mihi praeceptores fuisse maxime gaudeo, cll. in Philosophia naturali et Medicina Professores! A Vobis didici, reapse unam esse hanc, quam duplicem vulgo habent, doctrinam. Quid igitur suavius esse mihi potest, quid antiquius, quid magis decorum, quam vestra et exempla imitari et vestigia legere.

Vos vero nominatim compellare liceat, cll. HEUSDI et SCHRÖDERE! qui matrem illam doctrinarum omnium, Philosophiam, sic traditis, ut nostrae Academiae foecunda existat. Nescio equidem, an ulla doctrina alia acre illud observandi studium, severamque judicandi rationem magis aut tantopere in verum doctrinarum emolumentum excitet. Me vero Vobis plurima debere, palam gratusque profiteor (*).

O utinam in vestro ordine amicum quondam integerrimum, praeceptoremque mei amantissimum conspicere liceret, cui studia mea multa quoque accepta referunt, cujus amorem nullus unquam dies delebit! MOLLIUM nostrum lugemus. Si qua autem mortuis sit amicorum cura, illi pietatis nostrae significationem gratam fore certum habeo.

Qui vero MOLLIO successisti, cl. VAN REES! Tu, quod ille mihi reliquit, ingens sui desiderium amicitia tua explendum esse censuisti. Tres fere sunt menses, quum ex hoc loco mihi, vix collegae designato, publice de novis honoribus congratularere, id autem ita ageres, ut, quam antea jam noveram, propensam tuam in me voluntatem prorsus declarares. Eandem igitur mihi semper serves, et precor, et magna spero fiducia!

Jam ad Vos me converto, clarr. in facultate medica Professores! quos collegas appellare non sine pudoris sensu audeo: recens adeo vestrae est institutionis memoria.

Tu primus mihi compellandus es, clar. WOLTERBEEK! cujus in locum ego suffectus sum. Propter valetudinem tuam provinciam relinquis, quam strenue, per 20 annos et quod excedit, sustinuisti, sic autem relinquis, ut Academia magno Tui desiderio teneatur. Spero tamen, fore, ut tua eruditio, tua experientia, quae, durante vita academica, duces mihi fuerunt atque exempla, nunc etiam in gravissimo onere ferendo me sublevare pergant. Ita profecto non eris emeritus, sed bene de Academia mereri perges. Imo vero talia non sperare tantum, sed etiam vaticinari mihi licet, qui et per longam

(*) Paucis hebdomadibus post publicam hanc salutationem, inopinato, eheu! HEUSDIUS ille noster, vir et facundia excellens, et philosophia literisque eruditissimus, et humanitate, si quis alius, maxime conspicuus, tristi cessit fato. Quantam jacturam, irreparabilem prorsus, non Academia tantum Rheno-Trajectina, aut orbis litteratus, sed nos imprimis, Viri optimi amici discipulique, tulerimus, animo quidem sentire, at verbis exprimere nequeo.

annorum seriem, et hac imprimis opportunitate, amicum tuum erga me animum plane sum expertus. Ex intimo pectore gratias Tibi ago pro his omnibus benevolentiae documentis. Otium illud academicum, quo jam frui Tibi continget, diu Tibi sit jucundum, Academiae autem atque humanitati, quas tot nominibus Tibi devinxisti, utilissimum. De Te adeo, certus auguror, TULLII illud valebit, *nunquam Te minus esse otiosum, quam quum sis in otio.*

Neque Vos insalutatos praeterire possum, clarr. N. C. DE FREMERY et SCHROEDER VAN DER KOLK! quos summo et venerationis, et grati animi sensu semper prosecutus sum. Nescio equidem, utrum vestra in doctrinis physicis, an medicis merita mihi magis fuerint fructuosa. Hoc autem certo scio, Vos collegae eandem amicitiam, singularem prorsus, servaturos esse, quam discipulo praestitistis. Quanti illam equidem faciam, non verbis praedicare, sed factis probare enitar.

Quid autem Tibi dicam, Pater optime! Si quid in honorificentissimo munere mihi gaudio est, quod quantum sit, nemo Te melius novit, eo id maxime mihi augetur, quod Tecum, in quo totus sum, in posterum etiam vivere licebit, nec vivere tantum, sed ad eundem nobilissimum scopum finemque collineare. Si qua mihi spes est, ut non omnis deficiam, in tuis consiliis imprimis collocatur. Talis profecto nostra conjunctio, qualem hic dies videt, summum est optimae Providentiae beneficium. Nolim ego nostri commotionem animi vehementius excitare, quam festi hujus diei solennitas aut postulet, aut permittat. Hoc autem a summo Numine enixis precibus peto, ut, qui Tibi intimo pietatis sensu per totam vitam fuerim devinctissimus, idem nunc diu Tecum communi Academiae studio maneam conjunctus. Fortunas meas in tua felicitate ponere nunquam desinam!

Tot insuper, tantosque inter auditores conspicio fautores amicosque, ut suavissimi mihi sensus excitentur animi grati. Vobis faventibus, imo applaudentibus, illud suscipio munus, quod, si qua futurorum nobis esse possit providentia, vitae meae fata continet. Vos imprimis, venerande CLARISSE, praeclarum Academiae Lugduno-Batavae decus! et clar. TILANE, egregium Scholae Amstelodamensis ornamentum! qui, quam amicitiam patri optimo probatis, eandem in filium transferre voluistis; Vos, Amici integerrimi! quibuscum in eadem hac Academia Musis operam dedi, gratias accipiatis

sinceras, quod huic solenni festo interesse atque nobiscum gaudere voluistis. Vobis omnibus persuasum sit, vestram semper memoriam hujusce diei recordationi arctissime junctum iri.

Tandem ad Vos accedo, Juvenes ornatissimi, Commilitones optimi! quos studiorum meorum comites factos esse, eximie gaudeo. Viam Vobis proponere studui, quam Medicinam, ut scientiae sustineat dignitatem, ingredi oportet. Vestrum erit, hanc dignitatem tueri. Non enim id tantum quaeritis, ut scholasticam, aut empiricam cognitionem vobis paretis; verum institutionem expetitis academicam, liberalem, et nostra aetate et scientia vere dignam. Hanc obtinebitis, si praxi rectam theoriam junxeritis, non vanam aliquam, quae plus ostentationis habeat, quam utilitatis, verum accuratam, quae naturae Vos reddat amicos et familiares, quae unice naturae oracula interpretari doceat. Agite! in opere hoc tam serio, spectat enim hominis vitam, quae sacrosancta est, me tamquam socium vestrum et, si ita videatur, ducem accipite. Quidquid in me est, vel ingenii, vel animi, vel qualiscunque demum exercitationis, id Vobis omne consecro. Novi equidem vestram humanitatem. Quo ego magis arti nostrae gaudeam, quae non doctrinae tantum, sed et verae humanitatis principiis ducitur. His animi sensibus conjuncti, me amicum vestrum integerrimum habeatis. Communi ardore fidem exsolvamus, quam Academia, quam Patria, quam hominum Societas jure suo a nobis postulat et exspectat!

Tu autem, Deus O. M.! hisce votis propitius annuas, animum nobis addas viresque, ingenium acuas, ut, tuo freti auxilio, munus, quod nobis benigne mandare voluisti, bene et ut par est, exsequamur!

DIXI.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

in annum MDCCCXXXIX — MDCCCXL *proposita*

RECTORE

HENRICO EGBERTO VINKE.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Encyclopaediae theologicae partem posteriorem tradet H. BOUMAN, diebus iovis, horâ X.

In *Theologiam naturalem* cum commilitionibus inquiret H. BOUMAN, diebus iovis et veneris, horâ IX.

Historiam Ecclesiae et doctrinae Christianae recentiorem tradet H. I. ROYAARDS, diebus lunae et martis, hora X. et mercurii hora II.

Juris Ecclesiastici Belgici selecta (duce Campendio suo: *Nederlandsch Kerkregt bij de Hervormden*, *Utrecht* 1834. 1837. II. Vol.) explicabit H. I. ROYAARDS, die iovis, horis XII. et I.

Disquisitionibus de Hist. Eccl. Christ., probationi academicae praeviis, vacabit H. ROYAARDS, die iovis, hora II.

Hermineuticae sacrae partem generaliorem exponet H. BOUMAN, diebus lunae et martis, horâ X.

V. F. carmina selecta aliaque loca difficiliora interpretabitur H. BOUMAN, diebus veneris, hora X.

Catholicas N. F. epistolas explicare perget H. BOUMAN, diebus lunae et martis, hora IX.

Theologiam dogmaticam docebit H. E. VINKE, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, hora XI.

Collocutionibus de *Theologia populari* vacabit H. E. VINKE, die veneris, hora XII — II.

Ethicam Christianam, maxime *doctrinam officiorum et asceticam*, docebit H. I. ROYAARDS, diebus lunae, martis et mercurii, hora I.

Praecepta *homiletica* tradet H. E. VINKE, diebus lunae, mercurii et saturni, hora VIII.

Officia doctorum et antistitum in Ecclesia Christiana exponet I. HERINGA, E. F., diebus martis, iovis et veneris, hora VIII.

Puerorum, doctrinae Christianae initiis *erudiendorum*, exercitationem instituet H. E. VINKE, die veneris, hora XI.

Commilitonibus, *orationes* habentibus *sacras*, praesides aderunt I. HERINGA, E. F., die martis, horâ I. H. BOUMAN, die lunae, horâ I. H. I. ROOYAARDS, die veneris, horâ I. et H. E. VINKE, die iovis, horâ I.

Publicis *disputandi* exercitationibus praërunt alternatim, die mercurii, hora I. I. HERINGA, E. F., H. BOUMAN, H. I. ROYAARDS, et H. E. VINKE.

IN FACULTATE JURIDICA.

Pandectas, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora X docebit H. ARNTZENIUS; qui, propter aetatem honorifice rude donatus, suam operam et consilia commilitionibus offert.

Jus hodiernum civile I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora I.

Elementa methodi procedendi in causis civilibus I. R. DE BRUEYS, diebus mercurii et saturni, hora I.

Encyclopaediam iuris I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, hora X, mercurii et veneris, hora XI.

Elementa Oeconomiae politicae I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis et iovis, hora XI.

Institutiones Iustiniani A. C. HOLTIUS diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora X

Historiam Iuris Romani privati ad Constantinum, secundum sua *Lineamenta*, (quae prostant apud Academiae Typographum) A. C HOLTIUS, diebus martis, mercurii et iovis, hora I.

Exegeticas lectiones habebit A. C. HOLTIUS, diebus martis et veneris, hora XII.

Historiam gentium recentiorum politicam tradet I. ACKERSDYCK, diebus lunae, mercurii et veneris, hora XII.

Selecta quaedam Oeconomiae politicae capita explicabit I. ACKERSDYCK, diebus martis, iovis et saturni, hora X.

Statisticam universalem I. ACKERSDYCK, iisdem diebus, hora XII.

Ius Naturale I. F. M. BIRNBAUM, diebus lunae, veneris et saturni, hora I.

Ius Publicum et Gentium I. F. M. BIRNBAUM, diebus lunae et saturni, hora X., die veneris, hora IX.

Ius Criminale I. F. M. BIRNBAUM, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et saturni, hora IX.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, praeërunt Professores in facultate Iuridica.

IN FACULTATE MEDICA.

Anatomiam docebit I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, quater per dierum hebdomadem, horâ IV.

Physiologiam I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, diebus lunae, martis et iovis, horâ VIII. matutinâ, die mercurii, hora IX.

Anatomiam Pathologicam, bis per dierum hebdomadem, I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, horâ auditoribus commodâ.

Dissectionibus cadaverum Anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeërit quotidie I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.

Pathologiam exponet B. F. SUERMAN, ter per dierum hebdomadem, hora IX.

Therapiam generalem et apparatum medicamiuum exponet A. C. G. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem hora I.

Pharmaciam, vernaculo sermone, N. C. DE FREMERY, diebus lunae et martis, hora II.

Nosologiam et Therapiam specialem A. C. G. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem hora XII.

Examen aegrotantium et Semioticam, A. C. G. SUERMAN, in Nosocomio Academico, hora X.

Institutionibus clinicis morborum internorum vacabit A. C. G. SUERMAN, singulis diebus, in Nosocomio Academico,

Theoriam disciplinae chirurgica tradet B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, hora VIII.

Oporationes chirurgicas demonstrabit B. F. SUERMAN, tempore hyemali, quater per dierum hebdomadem, hora V.

Institutionibus in arte chirurgica quovis die vacabit B. F. SUERMAN.

Theoriam artis obstetricia A. C. G. SUERMAN exponet die martis et iovis, hora IX, veneris, hora XII.

Institutionibus obstetriciis, in primis practicis, in Nosocomio habendis, vacabit A. C. G. SUERMAN.

Medicinam Forensem tradet N. C. DE FREMERY, diebus mercurii et saturni, hora VIII.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, Professres in Facultate Medica praeërunt.

I. I. WOLTERBEEK, Med. Professor, quamvis munere suo defunctus, tamen civibus Academicis officia humanitatis praestare, praesertim Medicinae studiosis qualibet opportunitate prodesse, haud recusabit.

F. S. ALEXANDER, *Profr. honoraarius*, institutionibus clinicis in Nosocomio militari, diebus et horâ deinceps indicandis vacabit.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Logicam, atque *Anthropoloeiam* docebit I. F. L. SCHRÖDER, diebus lunae atque saturni, hora IX.

Philosophiam theoreticam I. F. L. SCHRÖDER, diebus iovis et veneris, hora II.

Literas Latinas A. VAN GOUDOEVER, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora XI. interpretando cum Livii *Hist.* l. XXI., tum selecta loca ex Horatii *Sermonibus*.

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora X.

Exercitationes Poedagogicas moderabitur A. VAN GOUDOEVER, die saturni, hora XII. et I.

Literas Graecas tradet PH. VAN HEUSDE, interpretandâ Plutarchi *Vita Bruti*, adiunctis questionibus Plutarcheis exercitationibus scribendi et disputandi, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora I.

Literas Hebraicas I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, cum interpretanda *Grammatica*, tum *eius*, ut et *Syntaxeos* usu in legendis quibusdam V. F. capitibus historicis monstrando, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora II.

Literas, cum *Aramaeas*, tum *Arabicas*, I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, diebus mercurii, hora VIII. et veneris, hora I.

Antiquitatem Hebraicam I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora VIII.

Caeterum provectiorum commilitonum desideriis, quoad poterit, satisfaciet libentissime I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD.

Historiam gentium, praesertim *Orientalium*, *Graecorum* et *Romanorum* tradet PH. G. VAN HEUSDE, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

Historiam Eloquentiae, PH. G. VAN HEUSDE, diebus mercurii, hora XII. et saturni, hora XI.

Literas Belgicas et literarum Belgicarum Historiam L. G. VISSCHER, diebus lunae, martis, veneris et saturni, hora X.

Praecepta Styli bene Belgici L. G. VISSCHER, diebus martis, iovis et saturni, hora I.

Historiam Patriae L. G. VISSCHER, diebus lunae et martis, horâ XI., iovis, hora X., et saturni, hora XI.

Antiquitatem Germanicam exponere perget L. G. VISSCHER, diebus martis et mercurii, hora IV.

Disputandi exercitationibus praeërunt, alternis hebdomadibus, die saturni hora I., alternatim PH. G. VAN HEUSDE et A. VAN GOUDOEVER.

G. DORN SEIFFEN, *Lit. Human. Lector*, *Historiam conversionis rerum publicarum in Europa ab Anno* MDCCLXXXIX. *usque ad A.* MDCCCXV. patrio sermone tradere perget, diebus mercurii, hora I. *Latine loquendi exercitia instituet*, diebus veneris, hora IX., aliave magis commoda.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Elementa Matheseos docebit I. F. L. SCHRÖDER, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora IX.

Stereometriam, Trigonometriam Sphaericam, adhibitam ad Astronomiam Sphaericam, et Geographiam Mathematicam I. F. L. SCHRÖDER, die veneris atque saturni, hora VIII.

Collocutionibus de ratione docendi disciplinas Mathematicas vacabit I. F. L. SCHRÖDER die lunae, hora IV.

Calculum differentialem et integralem tradet I. F. L. SCHRÖDER, diebus lunae et martis, hora X.

Physicam experimentalem R. VAN REES, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora I.

Astronomiae primas notitias R. VAN REES, diebus lunae et martis, hora IX.

Astronomiam theoreticam et practicam R. VAN REES, diebus mercurii, iovis et veneris, hora IX.

Chemiam generalem et applicatam N. C. DE FREMERY, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, hora XII.

Elementa Chemiae Regni organici, P. J. I. DE FREMERY, diebus veneris et saturni, hora IX.

Chemiam, artibus adhibitam, P. J. I. DE FREMERY, die martis, horâ pomeridianâ VI—VIII.

Iis, qui instituendis operationibus chemicis operam dare cupiunt, praeërit P. J. I. DE FREMERY, die saturni, hora X. ad XII.

Botanices et physiologiae plantarum elementa exponet C. A. BERGSMA, diebus lunae, martis et mercurii, hora XI.

Oeconomiam ruralem C. A. BERGSMA, diebus et horis, auditoribus commodis.

Excursionibus botanicis singulis hebdomadibus praeërit C. A. BERGSMA.

Botanicam et Physiologiam plantarum tradet I. KOPS, licet propter aetatem rude donatus, diebus et horis, auditoribus commodis.

Zoölogiam TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE, diebus lunae, martis et mercurii, hora XI.

Anatomiam comparatam TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE, die saturni, hora I.

Mineralogiam et Geologiam N. C. DE FREMERY, diebus iovis et veneris hora XI.

Oeconomiam ruralem I. KOPS, diebus et horis auditoribus commodis, in Museo regio instrumentorum ruralium.

I. H. KOCH, *Linguae Germanicae grammaticam* et *historiam literariam* interpretabitur, horâ auditoribus commodâ.

Literas Francicas tradet G. C. VERENET, diebus lunae et iovis, hora V.

L. DE FRANCE, *Academicus gladiatoriae artis Magister*, quotidie aptum et elegantem gladii usum docebit.

Bibliotheca Academica, diebus lunae, martis, iovis et veneris, ab hora I. *in* II*; diebus mercurii et saturni ab hora* I. *in* IV*; et feriarum tempore, singulis diebus iovis, ab hora* I. *in* II*; unicuique patebit. Museum quoque zoölogicum, tam huius Academiae, quam privatum in aedibus Professoris Historiae Naturalis, cuique roganti patebit.*

NUMERUS ADOLESCENTIUM STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA.

ANNO MDCCCXXXIX — MDCCCXL.

In Facultate	Theologica	135
» »	Juridica	169
» »	Medica	116
» »	Mathematica	9
» »	Literaria	32
		461

Praeterea 23 Juvenes examinum subeundorum causa hujus Academiae studiosis adscripti sunt, quamvis alibi studia sua prosequantur.

SERIES
DISSERTATIONUM INAUGURALIUM
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA
DEFENSARUM

a die XXI *Martii* MDCCCXXXIX *ad diem* XXVI *Martii* MDCCCXL.

ANNO MDCCCXXXIX.

d. 17 Aprilis. Dissertatio literaria *de conditione domestica feninarum Atheniensium, florentis imprimis reipublicae temporibus*, publice defensa a DIDERICO JANO VAN STEGEREN, Zwollano, pro gradu Philosophiae Theoreticae Magistri, Literarum Humaniorum Doctoris, magna cum laude.

Eod. die. Dissertatio Juridica *de conditione civili feminarum Atheniensium secundum Juris Attici principia*, publice defensa a DIDERICO JANO VAN STEGEREN, Zwollano, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, magna cum laude.

Eod. die. Dissertatio Juridica *de portione quam conjux binubis dare potest conjugi secundo*, privatim defensa a HENRICO CONSTANTINO HOOFT HASSELAAR, Hagano, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni.

d. 18 Aprilis. Specimen *in Doctrinam Francissi Hemsterhusii de natura Divina*, publice defensum a IANO GUILIELMO RÖMER, Rheno-Trajectino, pro gradu Philosophiae Theoreticae Magistri, et Literarum Humaniorum Doctoris, magna cum laude.

d. 22 Aprilis. Dissertatio Juridica *de procuratoribus mercatorum qui commissionarii appellantur*, publice defensa a JOANNO HENRICO SCHOBER, Rheno-Trajectino, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 22 Aprilis. Dissertatio Juridica *de Societate nominata*, publice defensum a GUILIELMO VAN CROMBRUGGHE, Hafniensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 30 Aprilis. Dissertatio Juridica *de rebus mancipi et nec mancipi*, publice defensa a HENRICO VERLOREN, Rheno-Trajectino, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, magna cum laude.

d. 26 Aprilis. Dissertatio Juridica *de justi matrimonii conditionibus praecipue secundum codicem civilem Neerlandicum*, privatim defensa a JACOBO VAN DER MANDERE, Medioburgensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni.

d. 18 Maji. Dissertatio Juridica sistens *animadversiones de ordinibus Transisalaniae*, privatim defensa a JOANNO CHRISTIANO BYSTERBOS, Campensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni.

Eod. die. Dissertatio Juridica *de concubinatu apud Romanos*, privatim defensa a HENRICO DU BOIS, Amstelodamensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 20 Maji. Dissertatio Juridica *de Transactionibus*, privatim defensa a GUILIELMO VAN DER BANK, Ravensteiniensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni.

d. 30 Maji. Dissertatio Juridica *de Juris decimandi in Brabantia Septentrionali origine et fatis*, privatim defensa a HENRICO BERNARDO MARTINI VAN GEFFEN, Sylva Ducensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 3 Junii. *Questiones argumenti obstetricii*, privatim defensae a DIDERICO ALEXANDRO HOOGEBRUYN, Medicinae Doctore, e pago 's Graveland, pro gradu Doctoris artis obstetriciae.

d. 8 Junii. Dissertatio Juridica *de Divortio secundum codicem civilem Neerlandicum*, privatim defensa a GUILIELMO VAN GOUDOEVER, Zwollano, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 10 Junii. Dissertatio Medico *de Vitiis organicis glandulae thyreoïdeae*, publice defensa a CAROLO AUGUSTO LUTÉRBT, Amstelodamensi, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

d. 11 Junii. Specimen Juridicum *de Delictis extra Regni Territorium admissis*, privatim defensum a HUBERTO ALEXANDRO MARTINO VAN ASCH VAN WYCK,

Rheno-Trajectino, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, magna cum laude.

d. 17 Junii. Dissertatio Medica, *de Glandula Thyreoïdea*, publice defensa a HENRICO JANO BROERS, Rheno-Trajectino, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

Eod. die. Specimen Physiologico-Pathologicum *de vita foetus humani sana et morbosa*, privatim defensum a HUBERTO JACOBO DROOGLEVER, Hagano, pro gradu Doctoris Medicinae.

d. 20 Junii. Dissertatio Chirurgica *de ossibus fractis, apparatu permanente curandis*, privatim defensa a JACOBO DIDERICO SIEGBRECTO ROMBACH, Montfortensii, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

Eod. die. *Quaestiones argumenti Chirurgici*, privatim defensae a JOHANNE PETRO THEODORO VAN DER LIDTH, Burensi, Med. Doct., pro gradu Doctoris Chirurgiae, magna cum laude.

d. 22 Junii. Dissertatio Historico Politica, *de commercio societatis Indiae Orientalis*, privatim defensa a DIDERICO WOLTERO JACOBO CAROLO VAN LYNDEN, Gelro, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, magna cum laude.

Eod. die. Specimen Historico Juridicum *de Jure, quo Gelriae, Trajecti et Transisalaniae regiones, postquam anno* 1672, *ab hoste fuerant occupatae, in antiquum foedus recipi debuissent*, privatim defensum a GUILIELMO VAN HEECKEREN TOT KELL, Gelro, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, magna cum laude.

Eod. die. Specimen Juridicum *de Jure succedendi liberorum naturalium in bona parentum, secundum jus Francicum*, privatim defensa a JANO SCHOTBORGH, ex insula Curaçao, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

Eod. die. Dissertatio Chirurgico Medica, sistens *Observationem de Anthrace, verticem occupante*, privatim defensa a JANO HERMANNO COOLHAAS, e pago Amerongen, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

d. 25 Junii. Dissertatio Medico-Chirurgica, sistente *Observationes de Haemorrhagia post amputationem*, privatim defensa a HERMANNO JANO FRERIKS, e pago Aalten, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

d, 29 Junii. Disquisitio *de deviatione meridionali corporum libere cadentium a magnis altitudinibus*, privatim defensa a GABRIËLE LUDOVICO HOUËL,

Rheno-Trajectino, pro gradu Matheseos Magistri et Philosophiae Naturalis Doctoris, cum laude.

Eod. die. Specimen *de cochlea hydraulica*, privatim defensum a JOANNE THEODORO MUNNICH, Amstelodamensi, pro gradu Matheseos Magistri et Philosophiae Naturalis Doctoris, cum laude.

d. 29 Junii. Dissertatio Pathologico-Physiologica, sistens *de peripneumonia explicationem*, privatim defensa a LEONARDO CORNELIO EVERARDO EUSEBIO FOCK, Rheno-Trajectino, pro gradu Doctoris Medicinae.

d. 28 Septembr. Dissertatio Juridica *de minore aetate noxiam et poenam vel tollente vel minuente*, privatim defensa a GUILIELMO CORNELIO MARIO DE JONGE VAN ELLEMEET, Hagano, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 12 Octobris. Specimen Juridicum, *de auctoritate cognatorum in causis pupillaribus*, privatim defensum a GUILIELMO JOANNE PUTMAN CRAMER, Twello-Gelro, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierno, cum laude.

d. 26 Octobris. Specimen *de Doliometria*, privatim defensum a CERBES HERMANNO JOANNE VAN BERCHUIS, Daventriensi, pro gradu Matheseos Magistri et Philosophiae Naturalis Doctoris.

d. 28 Octobris. Specimen Juridicum *de cura, jure Francico et Hodierno*, privatim defensum ab ALBERTO GERARDO WEYERS, Zutphaniensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 2 Novembris. Dissertatio Juridica *de Emancipatione*, privatim defensa a BOUWE SJOERDS STIENSTRA, Frisio, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 7 Novembris. Dissertatio Juridica *de Jure jurando decisorio*, privatim defensa a JACOBO THEODORO FREDERICO VAN OORDT, J. F. FILO, Roterodamensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni.

d. 19 Novembris. Dissertatio Physiologico-Pathologica *de Hypertrophia cordis*, publice defensa a NICOLAO KLEES, Amstelodamensi, pro gradu Doctoris Medicinae, magna cum laude.

d. 25 Novembris. Dissertatio literaria, continens *Observationes de indole Plutarchi, in scriptis obviis*, privatim defensa a DIDERICO HENRICO ABBING, Borculo-Gelro, pro gradu Philosophiae Theoreticae Magistri et Literarum Humaniorum Doctoris, magna cum laude.

d. 28 Novembris. Specimen-Pathologico medicum *de Empyremate*, privatim defensum ab ALBERTO KOPS, Amstelodamensi, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

d. 2 Decembris. Specimen Juridicum *de Collatione bonorum ex jure Neerlandico*, privatim defensum ab ADRIANO GUILIELMO SNOUCK HURGRONJE, Medioburgensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 4 Decembris. Specimen Juridicum *de Testamentis*, privatim defensum a NICOLAO JOHANNE VAN HOORN TOT BURGH, Hagano, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, magna cum laude.

Eod. die. Dissertatio Juridica *de Hypotheca legali*, privatim defensa a GERHARDO DUMBAR, Daventriensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, magna cum laude.

d. 16 Decembris. Specimen Juridicum *de Reditibus annuis haud conferendis*, privatim defensum a GERARDO CORVER HOOFT, Amstelodamensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, magna cum laude.

d. 18 Decembris. Specimen Juridicum *de conventionibus, earumque requisitis et effectibus, secundum Jus hodiernum*, privatim defensum ab ABRAHAMO SAMUELE VAN HENGELAAR, JUNIORE, Rheno-Trajectino, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 19 Decembris. Dissertatio literaria exhibens, *Praecipua placita veterum philosophorum de libertate morali*, privatim defensa a DAVIDE CORNELIO PLEYTE, Zirizea-Zelando, pro gradu Philosophiae Theoreticae Magistri et Literarum Humaniorum Doctoris, magna cum laude.

d. 20 Decembris. Specimen Anatomico-Pathologicum *de Monstris sireniformibus*, publica defensum a GERARDO PETRO JOANNE WOLFF, Amstelodamensi, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

ANNO MDCCCXL.

d. 14 Januarii. Dissertatio Medica sistens *Observationes de Morbillis*, privatim defensa a JOHANNE ANTONIO GOEDBLOED, Harderovico-Gelro, pro gradu Doctoris Medicinae.

d. 15 Februarii. Disputatio literaria, qua *Bessarionis aetas, vita, merita, scripta exponuntur*, privatim defensa a JOANNE CONRADO HACKE, Harle-

mensi, pro gradu Philosophiae Theoreticae Magistri et Literarum Humaniorum Doctoris, cum laude.

d. 13 Februarii. Specimen *Historico-Juris publici Romani de defensoribus Plebis seu civitatum*, publice defensum a JOHANNE GUILIELMO RÖMER, Rheno-Trajectino, pro gradu Doctoris Juris Romani ei Hodierni, magna cum laude.

Eod. d. HENRICUS NICOLAUS VAN TEUTEM, honoris causa, Theologiae Doctor creatus est.

d. 23 Februarii. Dissertatio Juridica *de Traditione, ad Dominium transferendum necessaria*, privatim defensa a FRANCISCO MARINO CHRISTIANO PELS RYCKEN, Bredano, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, magna cum laude.

Eod. die. Specimen Medicum *de aëris in venas ingressu ejusque effectu lethali*, privatim defensum a PETRO FREDERICO VALKENHOFF, e pago Soestdijk, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

d. 24 Februarii. Disputatio literaria *de Praeceptoribus in Rhetorum scholis apud Romanos*, privatim defensa a JANO JACOBO VAN DER KLOES, Amstelodamensi, pro gradu Philosophiae Theoreticae Magistri et Literarum Humaniorum Doctoris, magna cum laude.

d. 4 Martii. Specimen Historico *Juris Romani*, *sive commentatio ad Gaji commentarii* IV. *locum*, *de legis actionibus*, publice defensum a MARINO BICHON VAN YSSELMONDE, Roterodamensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, magna cum laude.

d. 24 Martii. Dissertatio Juridica *de communione bonorum inter conjuges ad acquaetus limitata*, privatim defensa a HERMANNO GERLINGS C. F., Harlemensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni.

d. 25 Martii. Specimen Juridicum *de Compensatione*, privatim defensa ab ARNOLDO MARCO DIKKERS, Tubantino, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

Eod. die. Dissertatio Juridica *de ultimis voluntatibus* ex jure hodierno, privatim defensa a PETRO MARIA DE LA COURT, e pago Ubbergen Gelro, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni.

J U D I C I A

ORDINUM ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE

DE COMMENTATIONIBUS AD QUAESTIONES

ANNO MDCCCXXXIX PROPOSITAS.

JUDICIUM FACULTATIS THEOLOGICAE.

Ordo Theologorum hanc excutiendam proposuerat quaestionem:

« Quae, pluribus librorum Novi Foederis locis relata leguntur de duodecim « viris, quos elegerit atque Apostolicâ dignitate ornaverit CHRISTUS, accurate « comparentur, eorumque historica fides a SCHLEYERMACHERI et STRAUSZII « dubitationibus defendatur. »

Ad quam quaestionem unam tantum accepit Ordo dissertationem, quae symbolum adscriptum habebat JOANNEUM; *ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν.* Quâ in commentatione et industriae haud pauca specimina viderunt laudaruntque Theologi, et probabile studium, ita disquisitione totum complectandi argumentum, ut nulla sine justâ reprehensione dimitteretur memoratorum virorum dubitatio. Quo magis iis vitiis haec bona obrui et obscurari doluit Ordo, ut praemio ornari non posset juvenis industrii disputatio. Hujus enim plane barbara est Latinitas, eaque universe ratio, ut ubiris fere, vel ingenii critici acumen desideres, vel accurati judicii limam, vel doctrinae theologicae copiam. Quocirca scriptor ad optimam caussam defendendam laudabilem quidem attulisse voluntatem censendus est, sed minime huic parem facultatem.

H. E. VINKE,
Fac. Theol. h. t. Actuar.

Jure consultorum ordo nullum accepit responsum

J. ACKERSDYCK.

JUDICIUM FACULTATIS MEDICAE.

Ad quaestionem a Facultate Medica propositam: « Exponatur, quid hodie « constet de Puogenesi? Ipsius puris proprietates ac differentiae ab humori- « bus analogis exhibeantur. Quaestio investigationibus propriis quantumpote « illustretur; » tres accepit commentationes Ordo, quarum prima, insignita verbis: « *dedi, quod habui* », Facultati parum placuit, non modo, quia diversorum Auctorum scripta negligenter citata sunt, atque eorum sententiae saepe minus bene intellectae et perverse traditae, sed Auctor diversis locis ostendit, se tam parum in Chemia et Physiologia esse versatum, ut haec Commentatio praemio ornari non potuerit.

Altera commentatio inscripta est verbis:

Felix, qui potuit rerum dignoscere causas.

Hujus commentationis Auctor minus Facultatis mentem perspexisse videtur; tum enim ex veterum, tum ex recentiorum, quot quot invenire potuit, scriptis, amplam sibi materiem collegit, ut magis scriptorum numerum, quam pondus, respexisse videatur Auctor, quorum sententias singulas ipsis fere verbis identidem tradidit, quibus valde diffusa, atque frequenti repetitione lectu molestior facta est Commentatio, inque insigne volumen increvit. Quasdam etiam Chemicas investigationes instituit Auctor, quae vero ad nullam conclusionem ducunt. Denique, quod majoris est momenti, diversarum sententiarum dijudicatio et comparatio vaga est, neque judicio conscripta, immo vero propriam sententiam de Puogenia, quam diversis locis citat Auctor, uti e literis belgico sermone conscriptis, et commentationi adnexis, patet, temporis penuriâ non addidit; porro commentatio stilo minus latino conscripta est, quare, licet diligentiae laus Auctori non deneganda sit, tamen propter minora judicii specimina, et nimis profusam eandemque jejunam materiae expositionem, hanc quoque commentationem praemio decorari non posse

censuit Ordo. Tertia commentatio, notata verbis: *nec manet, ut fuerat, nec formas servat easdem* etc., egregie sane Facultati placuit. Non modo enim recentissimas Observationes justo ordine proposuit, sed etiam acute diversas opiniones scriptorum inter se comparavit, et egregio judicii ingeniique acumine falsa minusque probabilia a veris distinxit et dijudicavit Auctor. Plures etiam proprias observationes, inprimis microscopicas instituit; denique probavit, se in diversis Medicinae partibus theoreticis egregie esse versatum, ita ut uno ore hanc commentationem eximiam praemio aureo dignissimam esse censuerit Facultas Aperta vero scedula invenit Facultas loco nominis, Auctorem declarantem, se propria manu commentationem conscripsisse. Quum vero hac in re legis verba praemium Auctori, qui propria manu commentationem conscripserit, denegent, Facultas, postquam ab Auctoritate legitima hujus sententiae confirmationem acceperat, Auctori praemium denegare debuit; qua de causa propter egregia commentationis merita, loco auri, testimonium honorificum Auctori dandum esse censuit Facultas, Auctore publice invitato ad nomen suum profitendum, apparuit, legitima etiam probatione instituta, auctorem esse JACOBUM JOHANNEM HETTERSCHEY, Medicinae in hac Academia Candidatum.

J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK,
h. t. ab actis.

JUDICIUM ORDINIS LITERARII.

De disputatione, qua respondetur quaestioni propositae « *quid* CICERO ARISTOTELI *debuerit* reliq. », cujus symbolum:

« ARISTOTELEO *more in disputatione ac dialogo.* » Disputationis scriptor ostendit, se tam in CICERONIS, quam ARISTOTELIS lectione, admodum esse versatum. Excerpsit, disposuit, notavit plerosque utriusque scriptoris locos, qui aliquam inter se habeant cognationem vel similitudinem. Indagavit, quid CICERO ARISTOTELICIS praeceptis, vel ad ingenium et orationem informandam,

vel in libris Rhetoricis, politicis, philosophicis conscribendis, debuerit, satisque commoda distributione omnia disposuit.

Cum his tamen bonis sunt mala quaedam mixta. Desideravimus judicandi, distinguendi, examinandi diligentiam et perspicuitatem, quae ad rem difficilem illustrandam requiruntur. Multa, praesertim in priore disputationis parte, copiosius et fusius, quam subtilius et limatius scripta sunt: in posteriore autem festinationis quaedam vestigia adesse deprehendimus. Praeterea Aristotelis scripta et effata non satis a Peripateticorum libris et placitis distinguuntur, nec critice indicatur, quid CICERO ab ipso ARISTOTELE sumserit, quid vero ab aliis mutuatus sit, vel in quibus ANTIOCHO suo temere fidem habuerit.

Re accurate considerata, Ordo censuit, scriptorem non quidem, omnibus partibus, propositum argumentum perpurgasse; multa tamen eum contulisse ad quaestionem plenius tractandem; scriptorem in re ardua adeo et difficili esse versatum, ut consummati quid a juvene vix exspectari posset; eum denique et a doctrinâ, et ab industriâ se commendare, ut praemio ornandus esse videretur.

Resignata scedula et probatione instituta, patuit, disputationis scriptorem esse: M. M. VAN BAUMHAUER, Philos. Theor. Litt. Hum. Juris Romani et Hodierni in Academia Rheno-Trajectina Candidatum.

Ad alteram quoque questionem:

« *De vita* METELLI *Numidici*, » *relig.*

unum tantum responsum accepimus AESCHYLI versu insignitum:

οὐ γὰρ δοκεῖν κ. τ. λ.

de qua disputatione hoc judicium tulimus.

Argumentum satis eleganter et perspicue tractatum: rerum narratio, justo ordine, facili orationis flumine, verborum copia conspicua: METELLI vita, mores, res gestae, temporum conditio, ita exponuntur, ut facile eorum imago animo effingi queat. Quibus laudibus, ut nihil detrahimus, reprehendimus tamen, scriptorem in testibus afferendis parciorem et negligentiorem fuisse, nec diversas eum narrationes critice inter se comparasse.

Reprehendimus, eum in rebus narrandis subinde pro arbitrio egisse, METELLUMque talia fecisse loquentem, quae temporibus quidem consentanea, sed historica

fide destituta sunt. Reprehendimus in narratione omissam fere temporum notationem de METELLI patre, avo, omnino de gente METELLI parum disertam mentionem factam, imaginem patricii Romani nimia cum festinatione conscriptam esse. Reprehendimus denique orationem minus tersam, limatam, politam, nimis redundantem poëticis flosculis, barbarismis et soloecismis passim conspersam, quorum tamen magnam partem et scriptoris festinationi et librarii negligentiae, vel imperitiae tribuimus.

Deliberatione instituta, tandem Ordini visum est, juvenile σύγγραμμα virtutibus potius, quam vitiis censendum esse, ejusque scriptori praemium non denegandum esse.

Regis decreto observato, hujus libelli scriptorem se probavit THODEN VAN VELSEN, in Academia Groningana, Litt. Human. et Theologiae Candidatus.

VISSCHER, h. t. ab actis.

ORDINIS MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS JUDICIUM.

Ad quaestionem physicam: « Exponantur et e calorici theoria illustrentur « variae methodi, quae adhiberi ad frigus artificiale producendum possunt. » ordo duas accepit responsiones, alteram inscriptam lemmate:

« Verus experientiae ordo prius lumen accendit, deinde lumen iter de- « monstrat; »

alteram hisce LAPLACII verbis insignitam:

« Ce n'est qu'en observant avec soin les phénomènes, qui accompagnent le « refroidissement et le rechauffement des corps, qu'on peut se procurer un « jour des notions exactes sur la nature même de la chaleur. »

Prior commentatio in duas partes divisa est, alteram practicam, alteram theoreticam. In priori Auctor varias methodas exposuit, quibus frigus produci potest, experimenta, hac de re instituta, singulari industria congessit, simul regulas et cautelas indicans, quae instituendis experimentis usu veniunt. In altera parte varia theoriae calorici capita, quae explicandis

refrigerationis phaenomenis inserviunt, exposuit et ad illustrandam praxin adhibuit.

Secundae commentationis Auctor, inverso ordine procedens, in introductione theoriam calorici latentis, qua praecipuae frigoris producendi methodi nituntur, uberius exposuit, deinde ad ipsas has methodos accessit, singulas theoriae luce illustrans, tandem in appendice de frigore egit, fluidorum gasformium dilatatione orto.

Quamvis in priori dissertatione plura laudanda invenerit Ordo, quae prae altera se commendat accurata auctorum, quorum experimenta recensentur, citatione et historica argumenti expositione, magis tamen, tum rerum exponendarum ordine et delectu, tum judicii acumine placuit altera responsio, quam igitur praemio ornandam censuit Ordo. Aperta schedula Auctoris nomen patuit:

Guilielmus ludovicus overduin, Matheseos et Philosophiae Nat. Candidatus in Academia Lugduno-Batava, qui publico examine, secundum Regium decretum instituto, se dissertationis Auctorem probavit.

Prioris autem commentationis Auctorem honorifica mentione condecorandum judicavit Ordo. Cognovit eum esse, legitima probatione instituta:

Bernardum verver, Matheseos, Philosophiae Naturalis et Medicinae Candidatum in Academia Groningana.

Ad quaestionem Geologicam: « Quandoquidem fossiles reliquiae animalium « mammalium, in primis pachydermatum, quorum analoga genera et species « hodie non nisi in tropicis regionibus bene vivere possunt, non tantum « in temperatis utriusque orbis regionibus frequenter reperiantur; sed vel « in frigidissimo Siberiae climate copiosissime adsint, et de causis, quibus « factum est, ut hic, in climate non suo, nunc reperiantur, non omnes « geologi eandem sententiam manifestent, quaerit Facultas, ut diversae de « his causis hypotheses breviter, sed accurate exponantur et cum naturae « legibus, quales ex observatione elicitas cognoscimus, critice comparentur;» « Ordo duas quoque accepit responsiones. Altera symbolum habuit linkii verba:

« Die Geschichte der Urwelt müssen wir mühsam aus Bruchstücken « zusammen lesen » e. q. s.

Auctor in hoc opusculo plurima congessit, quae ad quaestionem perti-

nent, multo labore commemoratis omnium fere eruditorum, qui de hoc argumento scripserunt, opinionibus et hypothesibus. In prima parte de pachydermatum aliorumque animalium fossilium reliquiis in universum egit et, quibus in locis illae fuerint repertae, exposuit. In altera parte egit de quaestione, utrum in illis locis animalia illa olim vixerint nec ne, adjiciens diversorum scriptorum opiniones de locis, e quibus illae reliquiae fuerunt allatae ed adjecta mundi primitivi imagine. Tertia pars opiniones diversissimas auctorum exponit de causis, quibus factum est, ut pachydermata vivere potuerint in climate, nunc fregidissimo. In qua disquisitione quum nonnullis scriptoribus patere videretur, clima boreale priscis temporibus magis calidum fuisse, parte quarta inquiritur in causas, quibus factum fuerit, ut illud deinde in frigidum fuerit mutatum, dum tandem in quinta parte occurat quarundam hypothesium ulterior contemplatio.

Ordo hic, quem in scribendo seculus est Auctor effecit, ut saepius ad easdam auctorum opiniones recurrere fuerit necessarium, adeoque frequentes reperiantur earundem rerum repetitiones. Praeterea aliorum quidem eruditorum opiniones et hypotheses contrarias saepe non satis bene exposuit et dijudicavit Auctor,

Alterius responsionis symbolum sunt CICERONIS verba: « Opinionum commenta delet dies, naturae judicia confirmat. »

Quaestionis argumentum strictius secutus Auctor, opusculum in tres divisit sectiones, quarum prima praesentiam reliquiarum animalium pachydermatum et aliorum fossilium in climate boreali, etiam frigidissimo, exponit et exemplis et scriptis geologorum depromptis demonstrat; altera praecipuas hypotheses, a probatissimis auctoribus ad rem explicandam adhibitas, bene exponit, tertia tandem illas hypotheses cum naturae legibus, quales et hodie vigentes observamus, comparat, quae tamen sectio momentosis observationibus ansam praebet.

Ordo, utraque dissertatione diligenter comparata, judicavit posteriorem esse praeferendam et praemio ornari posse. Aperta schedula nomen prodiit:

FREDERICI GUILIELMI CHRISTIANI KRECKE, Matheseos et Philosophiae Naturalis Candidati in Academiâ Trajectina. Qui deinde, examine publice instituto, Auctorem se esse probavit.

Quum vero altera commentatio ubique testetur magnam diligentiam in congerendis omnibus, ad argumentum pertinentibus, auctorum opinionibus, Ordo eam honorifica mentione dignam censuit. Auctorem ejus se probavit esse:

Levi ali cohen Medicinae Candidatus in Academia Groningana.

R. VAN REES,
Ord. h. t. ab actis.

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM

QUI

ANNO MDCCCXXXIX — MDCCCXL

RECTORE MAGNIFICO

CORNELIO STAR NUMAN

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCUERUNT.

IN FACULTATE JURIDICA.

HENRICUS NIENHUIS.
IACOBUS HERMANNUS PHILIPSE.
CORNELIUS STAR NUMAN.

IN FACULTATE MEDICA.

SIBRANDUS ELZO STRATINGH.
AUGUSTUS ARNOLDUS SEBASTIAN.
IACOBUS BAART DE LA FAILLE.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

THEODORUS VAN SWINDEREN.
SIBRANDUS STRATINGH.
HERMANNUS CHRISTIANUS VAN HALL.
IANUS GUILIELMUS ERMERINS.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

IOANNES FREDERICUS VAN OORDT.
PETRUS HOFSTEDE DE GROOT.
LUDOVICUS GERLACHUS PAREAU.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

CORNELIUS DE WAAL.
GERARDUS WOLTERS.
IANUS TEN BRINK.
BARTHOLDUS HENRICUS LULOFS.
GERARDUS JOANNES MEIJER.
FREDERICUS CHRISTIANUS DE GREUVE.
PETRUS VAN LIMBURG BROUWER.

CORNELII STAR NUMAN

PHILOS. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET JURIS UTRIUSQUE DOCT.
IN ORDINE JURIDICO PROF. ORD.

ORATIO

DE

PATRIO JURECONSULTO,

ACADEMICA INSTITUTIONE INFORMANDO,

PUBLICE HABITA

DIE VIII M. OCTOBRIS, ANNO CIƆIƆCCCXL.

QUUM

IN ACADEMIA, QUAE GRONINGAE EST, RECTORIS
MAGNIFICI PROVINCIAM DEPONERET.

Restituta, nostra aetate, post intolerabilem multorum populorum servitutem per totum fere orbem terrarum pax in innumeris, quae generi humano peperit, beneficiis, nescio, Auditores! an nullo beneficentior fuerit, quam communitate, quae et Europaeos inter se consociavit et reliquas cum Europaeis nationes. Cernitur haec in libertate, mercaturae atque navigationi tribui coepta. Sublata enim iam sunt multa necessitudinum ubivis parandarum atque augendarum impedimenta: quique antea difficillimus aut prohibitus plane fuerat, prudenti liberalitate, apertus aditus est ad multos portus, flumina, colonias, non patriae tantum, sed omnium amicarum gentium navibus. Foedera iam condita sunt et leges, quae tacite profitentur: nullam gentem locupletiorem fieri debere cum damno alieno: singularum prosperitatem omniumque florem optime inter se posse conciliari. Cernitur item in indefesso atque admirabili studio, quo fervet aetas nostra, omnia Physices et Chymiae inventa in eum finem adhibendi, ut, quos labor hominum in singulis regionibus protulit, ingenii industriaeque fructus quam facillime et expeditissime ubique propagentur.

Namque hae artes, uti incredibili incremento publicas et privatas opes auxerunt, ita ex effectu, quem pariunt, novum perpetuo vigorem consequi videntur. Perpetua igitur praeparatur utilissimaque inter remotissimas adeo regiones mercium permutatio. Jam ferrum atque ignis, crudelissima immanium bellorum instrumenta, ultimo hoc, inter continuam armorum vim, quam experti sumus et adhuc metuimus, interiecto pacis spatio, firmissima facta sunt communionis, humanitatis, vincula. Horum enim ope minantem atque renitentem ventorum ac fluctuum impetum superare, et

superstruendâ instabili tellure, montibus, imo fluminibus ipsis, suffodiendis, cum maxima arte brevique tempore eas commercii vias sternere didicerunt mortales, quas nos, qui nunc vivimus, nedum maiores nostri, muniri unquam posse negaveramus.

Neque in externis illis bonis, quae, nisi virtute pariantur et percipiantur, ne bona quidem appellanda sunt, unice conspicitur insignis gentium moratiorum ad interiorem coniunctionem progressio. Eandem spectamus in variis societatibus, quas sponte inire coeperunt variarum regionum incolae: vel ut Dei Patris, per Filium, Jesum Christum, hominibus patefacti, notitiam omnibus populis aperirent, laetum nuntium iis adnuntiantes et propagantes, vel ut ea minuerentur et tollerentur civitatium mala, quae Christianae religionis principiis prorsus repugnare censentur. Ita ad perpetuam vitam et sempiterna commoda omnium hominum, per divinitatis illam humanitatisque conciliatricem religionem, traductum fuit veterum illud:

« Homo sum: humani nihil a me alienum puto. »

Quid mirum, Auditores! praesentem quoque lîterarum disciplinarumque conditionem insignem populorum et principum voluntatem referre ad eum humanitatis cursum accelerandum? Quorum hi, qualibet opportunitate, antea penitus abditos documentorum thesauros aequâ facilitate in exterorum atque subditorum usum recludi jubent: quibus ea, quae visere, explorare, imitari cupiunt, summâ benevolentiâ spectanda et exquirenda conceduntur. E variis autem populis doctissimi viri honestissima aemulatione disciplinas ea ratione tractare incipiunt, ut omnia inventa utilesque labores ocissime innotescant utque multae sodalitates exortae sint eorum, quos communis non patriae sed veri amor conjunxit. Novimus, exterorum linguas, jura, fata, non minori studio a multis quam res domesticas indagata fuisse. Quo factum, ut egregie inter se comparari potuerint veterum recentiorumque instituta, et magis magisque perspecta fuerit magna antiquitatis et temporum, quae secuta sunt, magna item recentiorum gentium omnium, magna adeo, in summo hominum populorumque discrimine, totius generis humani cohaerentia. Exstitit igitur res publica quaedam unita, cuius fines nullis agrorum, fluminum,

mariumve terminis continentur, cuius opes omnium civium contributione augendae sunt, cuius fructus in singulos redundant. Namque magna illa varietas, quae in gentium ingenio, historia, lingua, religione, vitae utilitatibus multarumque rerum opportunitatibus cernitur, effecit, ut artes, literas, disciplinas varia admodum ratione excoluerint ad summum earum emolumentum.

Quamquam in acerrima hac omnium ad idem propositum contentione unicuique genti nihil magis metuendum et praecavendum videtur, quam ne, servilis imitationis studio ducta, quae intus ipsa habet, negligat totamque se ad peregrina exempla informet. Namque in literis etiam et disciplinis excolendis non omnes omnia possunt, sed sua tantum singuli, praestare: deque populis idem valet quod de singulis hominibus: quemque in ingenuis artibus exercendis *suam* naturam sequi, et aliena ita in se suscipere debere, ut hanc corroboret. Tum demum ea, quae aliunde sibi adscivit, propriis locupletata donis, aliis reddet.

Longum est, multorum exemplorum auctoritate cognitam rem confirmare. Quis enim nescit, olim saepe modo a coeca veterum imitatione, modo a Gallorum, qui non armis magis quam literis Europae principatum affectarunt, dominatione ita pependisse haud unius populi literaturam, ut in ea fere acquiescere videretur? Quis nescit, hodie vix oriri principem apud Gallos, Germanos, Anglos, poëtam, fabularumve fictarum vel scenicarum scriptorem, quin per multos annos servum pecus pasci ubivis eius imitatione, optima adeo ingenia pellici potius ad peregrinae laudis particulam adsequendam, quam ad propriam gloriam merendam incendi videamus? Et, si patriam nostram respicimus, exigui sunt eius, exigui inprimis sunt, quibus patriae linguae et domesticae eruditionis si non fama at notitia coercetur, limites: undique cincta est moratis civitatibus, quae et aliis vitae tute, prospere, humaniter agendae subsidiis pollent, et optimis illis, quae ex constanti artium doctrinarumque cultura petuntur, praesidiis: popularis est apud nos et fere vulgaris quaedam saltem praecipuarum linguarum exterarum cognitio: foris a peregrinis circumfundimur, domi librorum, in quovis genere a peregrinis foras datorum, affluentia: maximusque omni aevo hic fuit eorum favor et auctoritas, quorum

tamen contagione hodie et literae nostrae contaminantur et lingua. Quis igitur, haec reputans, non mecum existimat, quo maior in ea, quam praedicavimus, temporum nostrorum felicitate, posita est pacis, juris gentium et publici emendandi atque sanciendi, artium et doctrinarum perficiendarum spes atque exspectatio, eo firmiorem injiciendam esse omnium civium, juvenum inprimis, qui ad optima quaeque contendunt, animis hanc persuasionem, ideo unice aliena arripienda esse, ut insita cuivis et cuique populo vis promoveatur? Hoc enim principio spreto vel neglecto, nobis saltem eveniet, ut contrariarum rerum peregrinarum copia et conflictione obruamur, relictumque nobis a maioribus et fidei nostrae commissum existimationis dignitatisque patrimonium infami naufragio pereat.

Itaque cum dignitatem, quam per annum gessi, collegae coniunctissimo tradere, fataque Academiae, me Rectore, enarrare mihi incumberet, receptum morem diem festum solemni oratione celebrandi adeo non deserendum duxi, ut potius argumentum eligendum videretur, quod a persona, quam sustinui, haud alienum, temporibus autem, quae vivimus, disciplinaeque et patriae, cui vivimus, inprimis accommodatum esset. Dicam *de patrio jureconsulto, academica institutione informando.*

Duo sunt, de WYTTENBACHII sententia, qui duplici muneri immortaliter satisfecit, publici doctoris officia: alterum necessarium, institutio studiosae iuventutis, alterum honorarium, scriptio librorum, in quibus doctrinam ipse suam ad communem omnium usum prodat, et provectiores adeo ac seniores doceat. Haec sententia ita mihi probanda videtur, ut tamen in necessario munere praecipuum Academiarum finem collocandum censeam. Quod, ni fallor, omnes mihi adsentientur, qui mecum existiment, ipsos quidem doctores doctrinae copia accurataque rerum scientia excellere eiusque inextinguibilem amorem in discipulis excitare et perpetuo alere debere, *disciplinarumque sedes* esse Academias: sed tamen *institutionem Academicam* artibus doctrinisque tradendis et percipiendis non contineri. In illis enim recti cultûs seminariis erudiendus homo est, cuius animus ingeniumque iuvenile

totum fingi debet ad propria cuiusque artis studia, cui excolendae vitam destinavit.

Nimirum ita comparatus homo est, ut singula corporis membra singulaeque ingenii atque animi facultates, quae accurate discerni et distingui debent, suis quaeque partibus fungantur: simul autem omnia cum toto cohaereant et conjuncta sint. Una enim vi ad agendum propelluntur, sanitasque mentis et corporis non nisi ex justo omnium partium temperamento efflorescit. Pariter artes et disciplinae variae admodum sunt pro admirabili varietate naturae humanae, quae eas sponte peperit. Nihil tamen verius illo Socraticae philosophiae praecepto, quod, a CICERONE brevissime expressum, laudatum crebrius fuit, quam ejus vis intellecta: « omnes artes, quae ad humanitatem « pertinent, habere quoddam commune vinculum, et quasi cognatione « quadam inter se contineri. » In iis enim eadem illa unitas conspicua est, quae in vero homine cernitur, qui constanti perpetuaque voluntate fertur omnia, quae insita in ejus mente sunt, utut varia, sedulo fovendi, ad divinum exemplar perficiendi, inque vita omni exserendi. Maximam autem illam partium varietatem cum totius unitate coniunctam, quae per omnia diffusa est, omnia animat, omnia complectitur, repraesentant Academiae. Quas majores saltem nostri, pro liberalitate sua, ea potissimum mente condiderunt, ut omnes divinae humanaeque artes ibi docerentur, ita ut aliae alias constanter adiuvarent, retento simul quam studiosissime unico illo, quod memoravi, praesidio incolumitatis prosperitatisque. Muneris enim et collegii necessitudo, qua nos jungimur, coniunctissimi viri! quid aliud aut spectat aut refert, quam interiorem illam inter naturam hominis et literas disciplinasque societatem, mutuamque utilitatum communicationem atque ad eundem finem contentionem: in quibus omnibus tum ipsarum artium, tum Academiarum vis vitalis latere videtur? Quid de lectissima juventute dicam? Num undique ad studiorum domicilia confluit, simpliciter, ut suae quisque artis citissime faber fiat? nonne contra ii, quos aetas, literarum amor, morum similitudo sociavit, forte magis etiam communi *studiosorum* titulo communique doctrinarum principio et fine copulatos sese sentiunt? Itaque ex futuris Theologis, Medicis, Jureconsultis, ut reliquos taceam, optimos quosque, utrum ad maius ipsorum dubito an rei

publicae commodum singularumque, quas quisque sibi elegit, disciplinarum incrementum, intima sodalitate junctos videmus, cuius memoria per totam vitam cui tandem nostrum, Auditores! non gratissima manebit?

Quorsum ego haec disputo? Ut evincam, Auditores! hoc potissimum nomine a reliquis institutis, ad docendam iuventutem comparatis, differre Academias, quod in illis peculiares quaedam artes et disciplinae traduntur, quibus addiscendis ad proprium vitae munus apti efficiantur iuvenes: in his contra omnia concurrunt, ut cunctas ingenii animique dotes recte excolere possit juvenis, easque deinde ad illas maxime partes applicare, quibus vitam impendere destinavit. Unde intelligimus, quam perniciosus fuerit saeculi error, quo ingenii atque animi singularumque animi ingeniique facultatum discidium constituere multi conati sunt: dum aliis disciplinae ab artibus, veluti rami a trunco, abscindendae disciplinaeque ipsae in varias partes divellendae videbantur. Perniciosus error effecit, ut exstiterint nostris temporibus, in patria exstiterint nostra, in supremo adeo regni concilio surrexerint, qui palam contenderent, Academias in singulas Facultates esse distrahendas!

Ita ea, quae divinitus coniuncta sunt et cohaerent, hominum imprudentia atque ignorantia dissolvere perpetuo studet!

Quae cum sit Academiarum hominisque natura, ne necessarium quidem doctoris Academici munus in tradendis disciplinis consistet. Savinius, cui principatum in juris scientia aetas nostra detulit, paucis abhinc annis, cum Universitatum Germanicarum causam praeclare adversus novatorum calumniam tueretur, maximum Academiarum emolumentum in exemplo posuit, quod discipuli ab antecessore sumant (1). Scilicet veteres et recentiores populi ante inventam typographiae artem carebant innumeris illis externis docendi discendique instrumentis, quorum copiâ nos ita abundamus, ut fere laboremus: verum viva doctoris vox, vivus animus, perpetuumque eum inter et audientes sermonis, disputationum, societatis commercium effecerunt, ut altius penetrarent in discentium mentes et fixa in iis manerent, quaecunque ille praeciperet atque ex eorum ingenio eliceret. Itaque, quod apud plutarchum legimus, pueros, iuvenes factos, magistrum non abiicere sed

mutare, quippe qui pro mercenario doctore divinam vitae ducem nanciscantur, rationem (²): id cum omnis omnino institutio spectabit, tum maxime ille vere humanus hominem instituendi modus, quem antiquitas mediique aevi tempora nobis retulerunt, quemque perpetuare, nostra aetate, de SAVINII sententia, Academiae debent. In bono enim et praesente doctore, veluti in speculo, boni discipuli intuebuntur crescentem magis magisque scientiae atque sapientiae copiam, cui ipsi succrescant: item, quo modo ipse progrediatur perque semet ipsum sapere audeat. Iidem quam sit ardua disciplinarum via cognoscent, et itineris ducem atque comitem sequentur eum, qui easdem similesve difficultates expertus est ipse, sed superavit. Doctor gravissimo officio satisfaciet, non si perpetuo juvenes excitet atque ad maiora persequenda stimulet: verum si, quae summa sunt in arte, quam profitetur, ea constanter iis, tanquam finem, ad quem sine ulla intermissione enitendum sit, proponat: omnem autem progressum, quem fecerint, dignam eorum studiis virium intentionem periclitationemque pronuntiet. Ita non prius requiescere discent, quam in omni, quam tractent, materia per errorum et difficultatum tenebras in veritatis lucem pervenerint, et tales homines, quales viros doctos, sese praebuerint.

Haec igitur significare studui, cum institutionem juvenum praecipuum Academiarum finem necessariumque Academici doctoris officium vocavi.

Debet autem illa plane *patria institutio* esse.

Audire videor, qui interpellent, Academias esse Universitates, non huius illiusve regionis, sed mundanae scientiae commodis inservientes: hanc fuisse earum omni aevo laudem, ut essent in orbe literato *metropoles quaedam.* Et profecto, quamvis Universitatis nomen, quod multae gesserunt, nihil aliud significaret, quam *corpus legum et magistratuum jus habens*, quod autonomiam Veteres appellabant (³), tamen peregrinos et cives, nullo discrimine, undique ad haec scientiae sacraria properavisse, et aequo jure habitos fuisse, constat. Verum hoc illis accidit temporibus, quibus variae gentes Europaeae in unam veluti civitatem literatam sub uno imperio sacro et civili congregatae fuerunt, eadem lingua utentes. Mutata deinde tempora sunt. Illi communitati, quae nunquam tamen evanuit, nostra aetate,

alia successit: quae non tam ab uno eodemque fonte ad singulos populos, quam a singulis gentibus in omnes redundavit. Igitur hodieque exstat literatura Europaea, in omni eruditionis genere, adsiduâ omnium doctorum operâ perficienda.

Eundem ingeniorum, disciplinarum, temporum motum secutae sunt Academiae (4). Quarum civibus duas hodie censemus esse patrias: unam *naturae*, alteram *scientiae*: et eam patriam dicentes, ubi nati, et illam, qua excepti sunt. Altera autem ab altera ne cogitatione quidem divelli debet. Nisi quis in serium converti malit, quod olim in patria nostra per jocum propositum fuit minime ineptum (5), quodque multis hominibus nostris vehementer placebit. Maiores nostri, stultissimi mortalium, ita animis frangebantur et pecuniis parcebant, ut non dubitarent, nondum pacata civitate, imo in mediis rei publicae procellis, condere Academias: arcessere adeo magnisque cum sumtibus retinere, maximo denique honore ornare peregrinos, quorum fama Academiae splendorem auctum iri jure sperabant. Nemo nostrûm non sponte recordatur cara sibi virorum clarissimorum nomina, quae exteram originem, Batavae autem eruditionis laudes referunt (6). Quidni vero hodie intolerabile istud multis apud nos, uti videtur, Academiarum onus in alios Principes reiiciatur? in magna praesertim aerarii penuria et Academiarum Germanicarum vicinitate, regionum, ubi fixae sunt, salubritate atque amoenitate, principum munificentia, virorum clarissimorum, qui ibi florent, fama, discentium celebritate, inque tanta doctrinae, qua Germani ducuntur, existimatione, ut cum aëre puro et temperato castissimae Musae adventanti Batavo adspirare videantur? In vicino agro Geldrico et Traiectino multos novimus vel aedificare solere in alieno, permittente domino, bonis sub conditionibus vel aediculas conducere, optimo anni tempore, ut villarum hortorumque ab aliis magno adparatu instructorum deliciis laeti, dominorum saltem curis vacui, fruantur, ut suis. Horum exemplum, delendis Academiis nostris, cur non imitemur? — At, magna pecuniae vis quotannis civibus peribit, exteris accrescet! Ac si dubiam optionem reliquissent oeconomiae politicae scriptores, qui ad parsimoniam unice adtendere solent, modo constet, uti constat, juvenes minori sumtu plerumque in plurimis Germaniae Universitatibus, quam in patria nostra, informari! — At deerunt Professores, qui nostratibus jus, linguam, literas

domesticas tradant! — Non deerunt Professores in docta feracique Professorum Germania, in tanta inprimis, qua ibi permulti flagrant, discendi docendique cupiditate: aut, si praeter spem evenerit, vocabuntur fortasse nostratium nonnulli in pulcherrimas regiones. Cognovi collegas, qui uti hic haud immerito de inconstante coeli aërisque temperie constanter queruntur, ita utramque patriam egregie essent ornaturi. Sed nolo aliis argumentis consilium ineptissimum commendare. Scilicet, quis, patriam cogitans, et quam sint cum ea coniunctae Academiae, non toto illud animo abhorreat? ([7])

Erunt denique, qui in varia disciplinarum indole argumentum sibi invenisse putent, quo sententiam infringant; *institutionem Academicam ubique patriam esse debere.* Cum enim aliae disciplinae domesticae magis sint, ut iurisprudentia, aliae ad nullum certum populum pertinere videantur, uti medicina, philosophia, literarum antiquarum et orientalium scientia, artes physicae et chymicae, theologia, in earum cultoribus cerni haud oportere affirmabunt, cujates sint. Hi vero attendant ad naturalem hominum gentiumque varietatem, quae sese in omnium artium doctrinarumque historia prodit, quamque non nisi cum humanitate ipsa exuet genus humanum, et reminiscantur Oratoris, quem ante quinquennium ex hac cathedra tam accurate atque excellenter hunc locum explicantem audivimus, ut equidem verbum hic addere supersedeam ([8]).

Propius nunc accedo ad proprium orationis argumentum. De praecipuo Academiarum proposito diximus: *patrium* adhuc *Jureconsultum* requirimus: cuius tamen imago exprimi a nobis non potest, nisi de juris natura pauca praemonuerimus.

Statim autem errori occurrere debemus, quo nullus fere gravior superiori aetate ingenium multorum hominum occupavit et multas disciplinas invasit. Scilicet, quamvis juris natura a natura hominis repetenda omnino sit, parum tamen hanc perspexisse ii videntur, qui docerent, singularem hominem naturâ ab aliis sui generis disiunctum vivere. Nimirum nemo exstitit unquam, quin et propria indoles ab aliis eum distingueret, et simul ipse cum aliis sui generis, corpore, ingenio, animo, origine, eodem, quo omnes creati sumus, fine, coniunctus esset. Deus omnia consociavit: hominem ita instruxit, ut hominem

cum homine, aliorum hominum societate, civitate, humanitate, ut denique hominem humanitatemque secum conciliaret. Haec ipsa conjunctio una omnium maxime sublimis est, quippe quae omnes generis humani aetates complectitur, vitam terrestrem cum aeterna copulat. Inde ab initio, omnis enim cultus a religione profectus est, homines ad eam instituit Deus, qui tandem per Filium, imaginem suam, perfectam suam hominisque naturam atque institutionis divinae vim patefecit: dum per Ecclesiam Christi, si perfecta cogitetur, declaratur, quaenam intima sit hominum inter se et cum Deo sub divino imperio societas. Summam hancce hominum cum Deo societatem animare atque regere debere societates, inprimis Christianas, sponte intelligitur: eius autem principium jam cernimus in gentibus rudibus, « quarum nulla tam est fera, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio »: id est, quae non superiori cuidam naturae, quam divinam vocant, curam caerimoniamque tribuat (9). Nec tantum cum Deo, sed homines inter se superiori humana communitate, ad Dei voluntatem ordinanda, copulati sunt. Singuli enim non iuxta se in hoc terrarum orbe collocati sunt, uti ii docuerunt, quorum error ad societates civiles penitus convertendas multum contulit, sed singuli in familia nascuntur, et cum ipsa, quam accipiunt, vita, suscipiuntur in stirpem, tribum, populum, quocum eandem originem habent, eandem linguam deinde loquuntur, eadem sacra colunt, festa celebrant, receptos mores sequuntur. Explicari hanc hominum consociationem, quae initio contractior est, magis magisque, eamque tandem omnes omnino necessitudines humanas complecti novimus. In vita autem domestica, principio illo et speculo rerum publicarum, ea iam apparet singulorum cum superiori communione cohaerentia, quae *indigentia* et *potentia*, id est, inaequalitate cernitur. Quae cum obedientiam genuit tum imperium, « sine quo nec domus ulla nec civitas, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. » Sive igitur ad initia vitae civilis seu ad summum propositum, cui Deus hominem destinavit, attendimus, omnia nos docent, singulos homines ne cogitatione quidem avelli debere a variis illis communitatis gradibus, quorum naturam cognoscere, legibus parere optimus quisque maxime studebit. Tum demum singularis homo sui juris, liber est. Tantum enim abest, ut hanc communitatem, pro arbitrio mutuove cum aliis consensu condiderit, ut haec maneat, ille in

terrestribus societatibus per aliquot modo annos moretur. ARISTOTELES, cujus deperdita scripta politica equidem plaustris librorum, qui de jure naturae et publico universali prodierunt, lubens redimerem, haud immerito pronuntiavit, *totum esse prius partibus suis;* singulos homines sibimet ipsis non sufficere: eum, qui membrum communitatis esse nequeat, vel, quoniam solus sibi sufficit, nulla re indigeat, non esse hominem, sed aut aliud animal aut Deum (10). Itaque, ut communione singularia continentur, ita communia omnibus bona, artes, linguae, literae, mores, religio, quae variant rursus pro ingenti necessitudinum humanarum varietate, probant, singularum societatum *propriam* esse indolem, quam socii singuli non tam efficiunt quam exprimunt. Ex hac *populorum* proprietate iura omnia fluxerunt: e communi eorum, qui ad singulas gentes pertinent, persuasione, fide, scientia, moribus, fatis, eaque, quam quaeque gens aut subire debet aut superare, naturae vi: ut verbo dicam, e tota populi vita, eiusque et aliorum populorum, qui ejusdem similisve originis sunt, aut antea vixerunt, totius denique generis humani cohaerentia. Ad juris naturam pertinet, ut non publicum jus privato, uti perhibetur, verum privatum publico contineatur. Uti sua cuique populo lingua est, quam unusquisque de populo sponte addiscit, ita suum cuique jus, quo singuli, tanquam communitatis vinculo, obligantur. Principio vitae civilis, *proprii* huius juris et linguae notae iam cernuntur: quamquam utrumque adhuc multo magis referat *unitatem*, quae *nationes* conjungit, quam peculiarem populi constitutionem. Quo magis autem in varias civitates congregantur eiusdem originis gentes, eo etiam magis peculiarem earum civitatium naturam et lingua referet et jus. Omnes aetates ad utrumque mutandum, corrumpendum, emendandum, aliquid, nonnullae interdum permultum adferent. Maxima ingenia, oratores, poetae, scriptores, grammatici, jureconsulti, philosophi, legislatores commune illud populi, cujus vitam non per annos, sed per saecula metimur, patrimonium tuebuntur, augebunt, ornabunt, perficere studebunt, posteritatemque locupletabunt. Nemo vero, nisi qui aut ignorantia lapsus sit aut impudentia, nobilissimum illud munus adgredietur, nisi qui penitus se in ingenium populi popularisque linguae et juris insinuaverit, ita ut arte et scientia sua totum populum cum dignitate repraesentare censeatur. Ab hoc demum praesentia praeteritis aptari ita possunt, ut prudenter futuris prospiciatur.

Tot autem tantarumque rerum notitiam nemo sibi parare potest, nisi alia multa respiciat perpetuo. Etenim cultiores populi tum multa retinuerunt, quae cum aliis communia inde ab origine habuerunt, tum quae iis ab aliis fuerunt tributa culturae semina susceperunt. Haec tamen, nisi et natura eorum cognita sit et secundum eam excolantur, germinare in alieno solo nequeunt, nedum huic coalescere possint. Atque in generis humani historia omnia ita copulata sunt, ut cum aliae gentes aliis laudibus excelluerint, nulla exstiterit, quin, qua re de humanitate egregie meruerit, eâ ipsâ omnibus profuerit saeculis futuris. Periit vetus Graecia: deletum est populi Romani nomen atque auctoritas; sed viget vigebitque aeterno juventae flore antiquitas, quae non linguas tantum inque omni arte immortalia monumenta reliquit, « ad recreandum genus humanum destinata » (11), sed religionem etiam Christianam, excultam juris scientiam, instituta permulta juris sacri et profani, publici et privati, ad recentiores populos propagavit, quae deinde patriis cujusque gentis institutis, juribus, legibus, jurisprudentiae partim commixta partim conjuncta fuerunt.

Haec igitur omnia diligenter persequi Jureconsultus patrius debet (nam missa linguae jurisque comparatione ad hunc solum attendemus), ut cuiusque peregrini instituti vis atque efficacitas in domestica jura perspiciatur: item, utrum aliena manserint an in unum confluxerint. Verum hic gradum non sistet. Non enim superiores juris rationalis doctores, sed, qui nostro aevo florent, physicorum, chymicorum, physiologorum exemplum secutus, ***vitam***, cui discere omnes debemus, interius explorabit: historiae igitur ***iurium*** eo maxime consilio operam dabit, quo melius quaenam sit ***iuris*** historia perspiciat. Nam profecto, quamvis qui in iuris historiam inquisiverit penitus, nondum naturam iuris exquisiverit, tamen inanes sunt omnes de hac disquisitiones, quae non ab historia et constitutorum jurium scientia proficiscantur. Idem in historia juris ***hominis*** historiam humanitatisque cursum spectabit: ut, quod summum est, tandem adsequatur, quonam nempe modo emendari instituta sacra et profana possint, quo juris vinculo vere libera hominum societas intus juncta cogitari debeat. Itaque, cum in omnium populorum, barbarorum adeo, juribus communis jurium natura communisque hominum indoles certis vestigiis atque initiis appareant, prouti in omni religione, in ea adeo, quae

superstitionibus contaminata et corrupta est, quaedam tamen conjunctionis hominem inter et Deum indicia cernuntur: ita verus Jureconsultus neque infima haec negliget et summa semper respiciet, quae cernuntur in imagine liberae societatis humanae. Exprimet hunc libertatis sensum, quantum per humanam imbecillitatem fieri potest, optimus quisque Jureconsultus maxime: in patrio tamen iure habitabit, ad hoc excolendum summa infima adhibebit.

Quid hoc significet: *in patrio iure habitare*: ita tamen, ut nihil negligatur eorum, quae ad artis vel scientiae ambitum pertineant, principes hodie Germaniae Iureconsulti reliquos populos suo inprimis exemplo docuerunt. Novimus, Auditores! superiori saeculo fere exeunte, in illis regionibus una cum diligentissimo philosophiae studio veterum linguarum, artium, historiae, poesios amorem redintegratum fuisse, qui peperit egregium illum literarum florem, quo principatum in omni doctrinarum eruditionisque genere reliquis gentibus aut praeripuerunt aut dubium reddiderunt Germani. Factum ita est, ut eodem, quo reliquam antiquitatem explorarent modo, antiquitates, historiam, principia juris Romani indagarent atque ex ipsis fontibus derivarent: item, quasnam mutationes subierit hoc ius post Justinianum in Occidente atque Oriente, quaenam ejus vis fuerit medii aevi temporibus ad jura, jurisprudentiam, instituta recentiorum populorum atque Jureconsultorum doctrinam excolenda. Inprimis eam artem investigare studuerunt, qua Iureconsulti Romani admirabili consensu regulas tenuerunt, quibus veluti fundamentis omne jurisprudentiae aedificium superstruerent, quae in cunctis doctrinae partibus dominabantur inque corpore juris « quasi spirare videntur »: qua arte principia juris ad singulas causas ita applicare, singulares autem casus principiis universalibus ita innectere didicerunt, ut omne fere discrimen scientiae et artis tolleretur. Quae HUGO, HAUBOLDUS, SAVIGNIUS inprimis, ut discipulos, tantis magistris dignos, taceam, hac in re praestiterint, nemo ignorat. Quorum ratio ad reliqua subsidia, quibus patrii iuris intelligentia adiuvanda est, feliciter traducta fuit a magnorum horum virorum aemulis, inde ab iis temporibus, quibus eodem animi impetu atque ardore, quo arma adversus totius fere Europae tirannum susceperant Germani, ad patriarum maxime literarum disciplinarumque cultum inflammati fuerunt. Itaque praestantissimi in sua

quique arte viri mythologiam, antiquitates, linguas, geographiam, jura, leges, instituta, totam denique historiam gentium Germanicarum ab origine ad nostra usque tempora ea cum perseverantia exquisiverunt, quae vere appellari meretur « in ratione bene considerata stabilis et perpetua « remansio. » ([12]). Ab initiis illis recte positis profecti, progressi jam sunt ad majora. Omnes enim nationes Germanicae cum Germania haud contineantur, quid Flandriacum, Belgicum, Neerlandicum, Helveticum, Francorum, Anglorum, Americanorum ius publicum et privatum ad patrii juris historiam et naturam illustrandam afferre possint, tum demum perspici posse merito putaverunt, si haud minori diligentia peregrina illa quam domestica explorarentur omniaque inter se compararentur. Imo jura septentrionalium populorum et slavicarum gentium industriâ Germanorum ad totius Europae notitiam produci coepta sunt, ita ut Iureconsulti singuli viam communi virium intentione persequi velle videantur, quam ad linguam, mythologiam, antiquitates iuris explicandas, unus omnibus ostendit, patefecit, munivit, vir summus, JACOBUS GRIMMUS.

Erunt procul dubio, qui uti haec omnia per se haud improbanda, imo laudanda existiment, ita ad vitae utilitates parum fructuosa putent: quoniam Jureconsulti istis rebus a necessariarum rerum studio ad praeteritorum temporum obsoletorumque jurium indagationem avocentur necesse sit. Hi vero mihi antiquitates cum historia, id est mortem cum vita, confundere videntur. Liceat mihi hic aurea SAVINII verba afferre, quibus in novissimo, quod edere coepit, opere, perspicue docuit « minime praeteriti temporis imaginem sibi informare Jureconsultos illos, qui historici dicti sunt, ad quam praesentia et futura exigenda sint: hoc eos spectare, ut suum cuique tribuatur aetati, populo, instituto: omnium autem maxime, ut perspiciatur, quo modo praesentia cum praeteritis *re vera conjuncta sint.* Nisi enim hoc sciamus, *externam rerum faciem videmus, rerum vero natura nos latet, inque tenebris erramus.* » Itaque historiae ope evolvimus *praesentem* cujusque iuris atque instituti conditionem ex praeterito inde ab ejus origine: *naturam* eius evolvimus, quoniam principium cognoscimus, quod ipsi ita inhaeret, ut etiamsi per aliquod tempus exstinctum videatur, tamen reviviscat, nec nisi cum ipso instituto pereat: ad *antiquitates* vero referendae sunt *formae*

illae, quae in successione et cursu aetatum intercidunt, nec nisi cum maximo rei publicae damno resuscitari possunt » ([13]). Quod gravissimum discrimen utinam nunquam neglexissent civitatium rectores, legumlatores, viri docti, omnes, qui de rebus sacris et profanis vere *conservandis* aut restituendis solliciti fuerunt! Verum multi, etiam apud nos, sarciendo ea quae vetustate corruunt, ab omni detrimento integram sinceramque rem publicam conservaturos se esse existimant, aut intermortua revocando vitam restitutum iri sperant. Itaque nisi omnia historiae veluti lumine illustrentur, populorum jura nemo intelligere, nedum interpretari aut excolere potest. Omnia enim confundantur necesse est: peregrina cum patriis, cum receptis antiquata, coeca interpretum observantia cum vera juris natura aut legis ratione. Quomodo denique de emendando jure cogitare poterunt, qui nec legis virtutes a vitiis discernere didicerunt, et suas mendas legi obtruserunt? aut quonam jure patrii Jureconsulti nomen adfectabunt, qui ea, quae ipsorum scientiae atque arti subjecta sunt, regere nequeunt ad perpetuam rei publicae utilitatem munerisque, quo in civitate funguntur, dignitatem? qui nesciunt, quod sit proprium populi jus: nihilque ipsi arte sua conferunt ad patriae amorem, nihil ad libertatis civilis studium alendum, nihil ad communis juris reverentiam augendam? Quae res dici vix potest quantum noceat rei publicae saluti.

Cum aliae tristissimae conditionis, in qua apud multos populos patria jurisprudentia versatur, causae dicendae sunt, tum hanc inprimis commemorare debemus, quam tribuendam putamus falsis opinionibus, quae superiori aevo de natura hominis, civitatis, juris, ubivis praevaluerunt, quaeque plurimorum mentes atque ingenia invaserant penitus. Nolo repetere, quae ante sexennium de hoc argumento coram vobis disputavi, Auditores!: illud unice animadverto, omne hominum populorumque discrimen sublatum ab iis fuisse, qui, quod cuique homini, genti, juri civili proprium esset, prorsus praetervidentes, nihil respicerent, nisi singulorum naturam, nec suum cuique, sed omnibus idem tribuerent.

Cum autem singulis illis naturâ nihil commune inesse putarent, quo cum aliis sui generis superiori communione coniunctos sese sentirent,

et tamen congregandi homines essent: ex mutuo eorum arbitrio omnes omnino necessitudines sociales, societates, leges, omne jus repetiverunt. *Populum* simpliciter coetum hominum vocârunt, in certa regione certo quodam temporis spatio sub communi imperio viventium. Hoc singulorum voluntate, seu potius plurimorum suffragiis, constitui atque ad plurimorum vota regi debere contenderunt. Eum igitur errorem admiserunt, recte monente EICHHORNIO (13), quo civitatis et juris notionem a lubitu hominum derivarent; jus omne tantum declarata summi imperantis, populi mandatarii, voluntate niti putarent, omnesque civitates ad eandem rationis normam ordinari juberent. Haec doctrina mirum in modum cum saeculo conspirabat. Etenim pro arbitrio jura posse constitui, civitatemque mutari: praesentem aetatem nullo modo cum anterioribus cohaerere, sed humana vi ab his divelli posse, palam professi ii sunt, qui sacra profana omnia in Francia converterunt, et milleni hominis credunt, qui ab omni rerum sacrarum profanarumque conversione abhorrent. Omne autem jus a legislatore pendere: civitates, cives, machinarum merciumque instar esse habendos, quas disponere, donare, permutare, vendere possis: quisnam tandem Napoleone magis declaravit, qui nihil potius habuit, quam ut imperia antiqua everteret, antiquae stirpis principes ejiceret, civitatium terminos dirumperet, peregrinis populis Francicas leges et jura, suas leges et decreta, obtruderet, omnium, quae divicerat, regnorum rerumque publicarum ordinatione sollicitata?

Haec igitur cogitandi et sentiendi ratio illud tum in Germania tum inprimis in Gallia et patria nostra peperit jurisprudentiae studium, quo omnis praeteritum inter et praesens tempus cognatio sublata videretur, ita ut nihil nisi vacuum futurum somniarent homines. In Germania mox melior doctrina vicit. Quid in Gallia acciderit, constat. Sagacissimi ibi exstiterunt et disertissimi causarum patroni, elegantissimi oratores, egregii legum latores, probabiles admodum commentariorum juris civilis scriptores, quorum laudi nihil detrahendum puto: sed qui juris Romani scientia, sine qua quis tandem Jureconsulti nomine dignus habebitur? excellerent: qui, *externa rerum facie non contenti*, praesentia ex praeteritis explicarent, ac quaenam Franciae propria sint, quaenam eum aliis ea populis omni aevo communia habuerit, comparando efficerent: ii et universe paucissimi exstiterunt et

ex iis quidem, qui studia sua statim post inchoatam rei publicae conversionem aggressi sunt, hactenus inventus est nemo. Non HENRIONEM DE PANSEY, PARDESSUSIUM, similesve viros dictos volo, neque excellentem MERLINI, TOUILLIERII, aliorum, artem et doctrinam non suspicio: quamquam ne horum quidem eruditio cum ambitu et copia et subtilitate comparari posse videtur eius scientiae, quae praestantissimis aut priscis Galliae aut, qui nunc sunt, Germaniae Jurisconsultis propria censeri debet, latissime sese extendens; sed illi juris periti mihi ante oculos sunt, quorum aetatem et agmen duxit DUPINUS, in quo viro quanta sit scientia juris docta ejus opera declarant, ipsique Galli ridendo agnoscunt (15). Et tamen quis neget, eum jure inter peritissimos causarum patronos, vigilantissimos magistratus, facundissimosque oratores censeri, maximaque ingenii felicitate conspicuum esse? Scilicet, Auditores! ingeniosissimi Galli ad omnia sunt: omnesque populi multum ex iis proficere possunt ac debent: nos inprimis, ad excolenda ea, quae nostra sunt: primum, ut pure, eleganter, ornate linguâ patriâ eloqui et scribere curae cordique habeamus: deinde, ut quae in scholarum umbrâ didicerimus, promte atque apte in hominum lucem proferamus atque ad omnes casus, qui in vita civili incidunt, applicemus: tum, quae admirabilis eius gentis ars est, ut singulos locos sub universalibus principiis comprehendamus et ad capita sua redigamus: unde recentiorum populorum nullus codicibus legum scribendis tam idoneus videtur. Nihil hodie Franciae Jureconsultis, in maxima artis peritia, deest, praeter scientiam juris, quae CUJACII aevo tam magna in iis fuit, ut tunc reliquos populos omnes superaverint. Tantum igitur abest, ut desperandum sit de egregia huius populi ad hanc disciplinam facultate, ut haud dubitemus, quin, modo pacata maneat regio, neque optimae spei juvenes undis et tempestatibus rei publicae sese committere, quam in tranquillo otio adsiduis et modestis laboribus dedere sese malint, brevi tempore toti Europae probaturus sit, quid in juris scientia valeat. Etenim rerum sacrarum et profanarum omnium, quam subiit, conversio non potuit non temporarium gignere doctrinae neglectum: sed exstiterunt ibi, qui, quibus vitiis jurisprudentia Gallica premeretur, et ipsi sentirent et publice declararent: alii meliorem jam viam ingressi sunt; denique multos Francos, quam perdiu ignorarunt, unam omnium difficillimam artem insinuandi sese in praeteritorum temporum aliorumque populorum

mores, consuetudines, cogitandi rationem, propriam omnino anterioris aetatis conditionem atque indolem, nunc percepisse, BARANTIUS, THIERRII fratres, GUIZOTUS, VILLEMANUS, CUSINUS, aliique egregie docuerunt. Quorum ratio si, quod haud pauci bene et feliciter iam inchoarunt, ad jurisprudentiam aliquando accommodata fuerit: in Francia quoque mox patrii Jurisconsulti exorientur, qui intima artis et scientiae conspiratione, quod caput totius disciplinae est, nullis exterarum regionum Jureconsultis auctoritate atque dignitate cedent.

Apud nos, saeculo demum decimo octavo, hoc sibi tanquam summum atque extremum proposuerunt juris Antecessores, *ut patrios inprimis Jureconsultos per academicam institutionem informarent.* Floruit hic semper inde fere a restaurata iurisprudentia iuris Romani studium, quod recte proavi coluerunt: verum ea, quam memoravi, aetate in cunctis Academiis TROTZIUS, BONDAMUS, KEESSELIUS, VOORDA, KLUITIUS, PESTELIUS, sua quisque ratione et suis meritis conspicui, nostrum ius civile, mercatorium, poenale, criminale, publicum et gentium, undique a fontibus repetere studuerunt et Jureconsultos instituere, qui, *externa rerum specie haud contenti*, naturam *patrii* juris i. e. materiae, quae scientiae eorum atque arti subiecta esset, cognoscerent: sic demum patrium ius excoli et muneri suo Jureconsultos Batavos aliquando satisfacere posse merito existimantes. Eodem consilio, iisdem fere temporibus, in hac urbe condita fuit societas, quae tunc temporis non tam antiquitates juris patrii explorare, quam patrium jus excolere sibi proposuit, adhibitis omnibus justae interpretationis subsidiis. Sed postea tempora inciderunt, quibus pleraque avita instituta abolenda, quaeque patria essent, commutanda institutis videbantur, quae unice convenirent hominibus, qui, re publica ad plurimorum, uti fingebatur, consensum ordinata, nunc demum se libertatem adeptos esse putabant. Quae secuta sunt, cuncti novimus. Pro libertate exterorum servitutem, pro patriis institutis peregrinas leges, peregrinam iudiciorum ordinationem et linguam accepimus: ad quae omnia intelligenda, illustranda atque ad vitae civilis usum adhibenda perpetuo ad peregrinos recurrendum erat scriptores, qui fere omnes persuasum sibi habebant, novum saeculorum ordinem cum nova re publica novoque Napoleonis imperio esse natum, praeteritorumque temporum vim omnem exstinctam esse. Itaque patrii iuris fontes atque interpretes egregii, patriae historia atque antiquitates turpiter

neglecta jacebant. Talia enim studia contemni imperatoria utilitas erat, neque a saeculo abhorrebat.

Liberati fuimus Francorum imperio, minime Francorum legibus atque institutis, omnium minime exemplo, quod Gallici nobis iuris interpretes dederunt. Quam parum haec omnia apta essent ad patrii Jurisconsulti institutionem, ad aliquam excitandam patrii iuris reverentiam, ipsi intelligitis, Auditores! Nemo fere, nisi quum officium et necessitas postulabant, huic studio se dedit. Accedebat, quod plerique Jureconsulti Belgici imbuti plane erant Gallicarum legum admiratione, ita ut fere ultra eas sapere recusarent. In Hollandia patriae amantissimus quisque patrias leges mox importuna ista dominationis monumenta deleturas esse avidissime sperabant.

Inde a triennio demum peregrino hoc onere liberati sumus. Inutile vero et vanum beneficium erit, nisi Jureconsultorum ars, scientia, industria perficiant, quod patrius legislator inchoavit.

Equidem, Auditores! ideo maxime diu exspectatos legum Codices expetivi, quod putabam, magnum ex iis incrementum percepturam esse iurisprudentiam: plus enim praesidii civitati in bonis Jureconsultis esse, quam in ipsis legibus. Noveram, inde a quo tempore restauratae Academiae fuerunt, haud paucos ex iis provenisse, qui omnia sibi doctrinae subsidia parassent, quae in patrio Jureconsulto requiruntur: quamquam nonnulli reliquas omnes iurisprudentiae partes tractare mallent quam ius civile, quod, quoniam extraneum esset, contemserunt, brevique abrogatum iri crediderunt. Sperabam tales mox orituros esse in patria scriptores et commentatores, qui cum optimis scriptoribus Francicis, quorum merita in juris publici, gentium, criminalis disciplina, si cum Germanis conferantur, exigua admodum sunt, non tantum de palma certarent, verum etiam probarent, retentum inde ab origine Academiarum nostrarum morem, iuris Romani scientiam tanquam fundamentum subiiciendi omni jurisprudentiae studio, tantos fructus tulisse, ut dignos GROOTIO, VOETIO, BYNKERSHOEKIO, HUBERIS, KEESSELIO successores sese praestarent. Putabam denique, hoc ipso, quod ex *Academiae* stadiis prodeunt, Jureconsultos nostros

multa prae Gallis praecipua habere. Quae enim in Gallia futuris Jureconsultis apertae *scholae* fuerunt, nil nisi *scholae* sunt, neque iis, quae praesens disciplinarum conditio postulat, satisfaciunt. Quam miser vero antea earum, Napoleone inprimis regnante, status fuerit, dictu difficile est: hic enim liberalem artem ad sordidum quaestum abiicere voluit. Igitur longe plerique non in scholis, sed in foro ad forum educabantur: nostri contra juvenes, si bonam studiis operam navaverint, in vitae lucem prodeunt, ad omne patrii Jureconsulti munus explendum non dico parati, sed bene praeparati.

Nec spem fallet exitus, Auditores! modo regiam viam sequamur, nec Gallicorum Jurisconsultorum vitia potius, quam virtutes, quae magnae sunt, imitemur. Itaque qui ad patrii Jureconsulti laudem adspirare velit, nihil potius habeat, quam ut singula legum placita et universa capita ad fontes, unde fluxerunt, reducat, cursum, quem tenuerunt, persequatur: ut unde venerint, quaenam sint, quo tendant, pernoscat. Nam frustra quis contendat, Codicem legum alio esse interpretandum modo, quam jura, quae sine expressa legislatoris voluntate obtinuerunt. Codices illi pauca continent, quae plane nova sint: longe plurima cum anteriori iure ita conjuncta sunt, ut, nisi haec intelligamus, vera nostri juris ratio nos lateat perpetuo. Quid? quod ne nova quidem ab antiquis recte discernere poterimus? Etenim Jureconsultum semper spectamus, non eum, qui legibus interpretandis victum sibi potissimum quaerat, facillima quaeque perceptu verissima atque optima iudicans: sed eum, *qui in jure habitet.* Hic enim solus juris interpres, custos, conditor appellari meretur. Quod aeque in Grammaticum et linguam valet.

Quae hactenus de ea re disputavi, ad omnes Codices pertinent. Nec necesse est, omnia nunc argumenta adferre, quibus sententia, quam tueor, confirmetur. Hoc prae me fero, sic demum veram dignitatem Jureconsulti muneri conciliari: sic demum eum a legum formularumque recitatore non gradu sed genere distingui. Quae enim arida magis et jejuna cogitari possunt, quam praecepta illa et praescripta, quae in Codice *de modo experiundi in causis civilibus* traduntur? Et huius tamen studium, si scientiâ nobilitetur et historiae veluti

lumine illustretur ad eum modum, quem ante multos annos collega conjunctissimus publice commendavit, nescio an non ad gravissimas referendum sit jucundissimasque totius jurisprudentiae partes. Idem de Codice *criminali* affirmamus: cujus singuli loci plene intelligi nequeunt, nisi perpetuo eos cum juris Romani, antiqui juris patrii, Germanici, Gallici, Anglici, principiis, ut alia mittam, conferamus. Denique quomodo iuris mercatorii placita indagare atque explicare debeamus, qui ex uno exemplo discere cupiat, is legat paucos illos HOLTII nostratis commentarios, quibus forte in hoc genere nihil exquisitius prodiit. Iureconsulti Gallici saltem nihil ediderunt, quod eruditionis copia atque ambitu artisque subtilitate cum iis comparari posse videatur.

Nondum de jure publico dixi. Et tamen nulla patrii juris pars interpretum ignorantia magis conturbata fuit. Quid enim? Lex nostra de imperio nullum fere caput, pauca principia continet, quae non ex anteriori jure repetenda sint: sive ex variis illis legibus, quae inde ab anno 1798 conditae fuerunt, seu ex iure, quod libera re publica obtinuit, seu denique ex jure, quod ante liberam rempublicam aut in universo Belgio aut in singulis patriae regionibus observatum fuit. Vim quoque haud exiguam in illud habuerunt tempora, quibus omnes Europae regiones partim sollicitatae partim quassatae fuerunt. Per viginti autem quinque annos, qui inde a lata lege effluxerunt, tantum non omnes, qui de ea pronuntiarent eamve interpretandam sumerent, nihil egerunt aliud, quam ut praeconceptas suas, quas in scholis perceperant vel ex libris vulgaribus vel ephemeridibus arripuerant, de jure publico universali opiniones, legi accommodare studerent, nihil tale referenti. Scilicet dogmata de summo imperio, quod necessario singulis competit, de naturali, quae omnibus idem tribuit, aequalitate, tanquam omnis inaequalitatis civilis parente, de contractu sociali et precario jure parendi: haec igitur ad omnium captum sunt et multorum vota. Quae ex interiori hominis, civitatis, iuris publici natura petuntur principia, quae ex propria *gentis* constitutione, ex grammatica *et historica* legis interpretatione derivantur rectae intelligentiae subsidia, et vulgus hominum latent nec raro juris civilis peritos. Quod patria nostra omni fere aevo ad summum suum experta est detrimentum.

Cuius historia simul probat, quam sit necessarium, jus publicum civitatis nostrae a iuribus aliorum populorum accurate distinguere: quod fieri prorsus nequit, nisi propriam ipsius naturam indagaverimus. Aliter enim metuendum est, ne aliena ei obtrudamus. Quod ante saeculum decimum octavum perpetuò fere accidit, et superiori adhuc saeculo factum fuit, cum ad transmarinas illas, quae ex anteriori Angliae et ex coloniarum Anglicarum in America Septentrionali historia atque conditione tum sacra tum civili sponte redundaverant, de naturalibus hominum juribus opiniones, veluti ad perfecti speciem, vitiosa et hominum socordiâ corrupta rei publicae nostrae ordinatio exigeretur, quae tamen plane diversis fundamentis superstructa fuerat et nitebatur. Hunc igitur errorem eo magis omni modo tollendum censemus, quo plures ubivis etiam apud nos inveniantur, qui eodem abripi sese patiuntur.

Sed alia adhuc in patrio Jureconsulto requiruntur, ad quae Academica institutio eum praeparare debeat. Domum Jureconsulti « totius oraculum civitatis » Romani dixerunt. In nostris civitatibus praestantissimum Jureconsultorum munus omnia populi commoda complectitur, cum ad rem publicam gerendam et legifera concilia fere vocari soleant. Hi igitur mature sibi proponant: « aliquando noscere rem publicam »: idque late patet, latius etiam, quam in libris de legibus CICERO Senatori necessarium duxit. Tota enim populi conditio exploranda est: inprimis ut dignoscatur, quaenam vera ejus sit indoles, quaenam praesentes eius necessitates et perpetuae utilitates requirant, ad quaenam aptus sit. Futuris Jureconsultis nostris sanctissimum impositum officium est, linguam et historiam patriae summo studio explorandi. Nec coloniarum nostrarum historiam negligant: non tantum quoniam earum proventu respublica nunc sustentatur atque alitur, privatorumque opes augentur, industria civium acuitur, verum etiam quod popularium fortitudine, constantia, laboribus conditae, populariumque sudore ac sanguine conservatae fuerunt et adhuc servantur, atque in iis constituendis et colendis suum ingenium Batavi prodiderunt. Sic liberabimur crimine, nullam gentem magis patriam in ore, minus in intellectu habere, quam nostram, hac inprimis aetate. Illud palam profiteor, nihil mihi molestius et fere intolerabilius accidere solere, quam summam, quae in multis civibus, cultioribus adeo, juvenibus

inprimis, qui liberali institutione usi esse dicuntur, animadvertitur, et patriarum rerum et historiae maxime patriae ignorantiam. Quisnam tandem potest esse ignotae rei amor?

Haec igitur de patrio Jureconsulto monenda censui. Quem in juris scientia tractanda et arte profitenda, quae infinitae sunt, ita versari oportebit, ut quantum possit ex exteris proficiat, patrius tamen esse non desinat. Optimus autem quisque virtute sua insitam sibi populoque vim promovebit maxime. Quaenam aliis populis insita vis sit, quaerere coram vobis supersedeo: sin autem de proprio Batavorum ingenio quaeratis, Auditores! quod Academica institutione in Jureconsulto, quantum fieri possit, excoli debeat, omissis aliis, respondeo: *Simplex* sit. Nullus enim e recentioribus populis maiori simplicitate tot tantaque peregit, quam populus noster, qui simplicissimis instrumentis, industria maxime, perseverantia, parsimonia, fortitudine in periculis suscipiendis et perferendis, acuto ingenio ad vera et perpetua commoda unice intento, summam sibi gloriam et prosperitatem peperit, aliisque populis cum exemplo suo tum inventis profuit. Et vero, quis magnos viros, qui olim hic floruerunt, cogitat, pictores, maritimos duces, rei publicae rectores, viros eruditos, quorum nomen per totum terrarum orbem celebratum fuit, quin inprimis admiretur ingenii, animi, vitaeque, quam prodiderunt, simplicitatem?

Simplex est veri sigillum. Hac sententia BOERHAVIUS simul et populi sui, et artis scientiaeque omnis et suum ipsius ingenium expressit. A *veri* autem studio, quo nullum homini Deus sublimius dedit, omnis disciplinarum flos pendet.

Qui sensu ducitur eius, quod *simplex* est, *naturae* vitam sequitur. Ergo non naturam sibi praeconceptisque suis opinionibus submittit, sed eam constanter interrogando naturamque suam et aliorum explorando elicere omnia ex ipsa studebit. Nec rivulos sectabitur, ad fontes penetrabit, ipsa disciplinarum omnium elementa et principia exquiret, ex his omnia derivabit. Quoties cogitavi, Auditores! cur tandem factum sit, ut apud nos summus semper remanserit antiquarum literarum honos, ita ut hodieque nemo eruditus censeatur, nisi qui harum cognitione imbutus sit, toties haud exiguam ejus rei causam invenisse mihi

in illa simplicitate visus sum, quae et veteres et proavos ornavit, effecitque, ut naturae viam pariter sequerentur. Itaque BOERHAVIUS alter HIPPOCRATES et erat et nominabatur: condidit autem Medicorum scholam, quae Hippocraticam rationem ad hunc usque diem in principe patriae Academia propagavit. Hinc repetendum, simplicitatem, quam spirat religio Christiana, toti populo, Socraticam autem philosophiam philosophis nostris in omni disciplinarum genere maxime placuisse, virorumque literatorum seriem exstitisse in patria nostra, qui ejus rationem exprimerent plane. Batava enim haec dicam? an naturae simplicitas non tantum RUHNKENIUM et WYTTENBACHIUM ita cepit, ut frequenter eam et semper maxima cum voluptate referant in scriptis suis: regnat eadem in disciplina HEMSTERHUSIANA et SCHULTENSIANA. Ut denique alia omittam, naturae viam secuti sunt majores, cum ex genuinis juris Romani fontibus jurisprudentiae artem jurisque Romani scientiam repeterent.

Sensus denique eius, quod *simplex* est, acuatur et nobilitetur in futuro Jureconsulto Batavo, quoniam candoris est fideique sigillum: fides autem invisibile omnis juris praesidium, justitiaeque parens. Quam fidem cum in Batavis maxime admirari peregrini solerent: quid mirum, eos non mercaturae magis agendae quam jurisprudentiae tractandae aptos fuisse?

Omnino ea, quae de Romanorum ingenio dicuntur ad iuris artem felicissimo, ea pariter de populo nostro affirmaveris. « Fuerunt Romani viri graves, parci homines et severi, utilitate omnia aestimantes: omnium virtutum maxime justitiam coluerunt et fidem » (15). Praeterea cum Romanis commune habuerunt majores, ut temerarias mutationes aversarentur, antiquitate conservanda, et majorum institutis vehementer delectarentur.

Alia accedebant, quae jurisprudentiae amorem alere in his regionibus deberent. Primum proprium est nostrae genti scientiae et artis conjungendae, vel potius scientiae statim ad vitae usum traducendae, studium: imo ex media hominum vita artes doctrinaeque prodierunt, ipsaeque sponte ad eam fuerunt accommodatae. Deinde suum cuique tribuendi voluntas minime a populo abhorrebat, qui et pacis esset amantissimus, viribusque

non ita polleret, ut aliis injuriam inferre impune ei liceret: contra in fide et juris observantia optimum mercaturae praesidium quaerere debuit. Regnabat item in civitate maxima legum magistratuumque reverentia, sine qua ne umbram quidem libertatis cernimus. Hanc autem vehementer amabant majores, etiamsi umbram pro imagine interdum amplexi fuerint, neque in iisdem de libertate opinionibus summam rem publicam semper posuerint. Sed tamen illius studium omni aevo dominatur in historia populi nostri tum sacra tum civili: quo factum, ut nullus Europae populus tantam libertatem socialem et ipse adeptus fuerit et aliis intra fines regionis suae concesserit, quantam proavi nostri. Verae igitur libertatis perpetuo amorem excolat, perficiat patrius Jureconsultus, liberum civem civibus suis sese praebens, liberum ab hominum, liberum a populi sui erroribus atque vitiis: quid justum sit, unice sectans, non hominum metu, sed Dei unice reverentiâ ductus.

Quid denique de antiquitatis observantia dicam? quae dici vix potest quantum, si bene temperetur, prosit ad justi sensum corroborandum, civitatem confirmandam, aequabilitatem conservandam? Quamquam haec bona ars valde prona est in vitium flecti. Tota enim populi nostri historia declarat, maximas saepe in re publica turbas ortas fuisse ex pertinacia in servandis legibus institutisque, quae per vetustatem obsoleverant vel corrupta fuerant. Derivandum hoc malum videtur ex proprii et gentilitii commodi studio, quo corpora inprimis et magistratus ducebantur. In ea perseverantia, quae finitima constantiae multis censebatur, facile adquievit tarditas multorum ingeniorum, magnaque inertiae vis, quae non insita quidem est populo nostro, (quis enim Batavos saeculi decimi septimi inertiae incuset?) sed quam divitiae et otium et imperii retinendi studium in gente nostra pepererunt et nutriverunt. In gente nostra, inquam: quae naturâ minus ad alacritatem quam ad prudentiam, patientiam, constantiam composita videtur, quaeque omni aevo privatae vitae prosperitatem felicitatemque domesticam pluris aestimavit, quam ut aliquas in imperio administrando partes ageret.

Itaque earum virtutum, quae non tam evidenter vel non ea conspiratione in ullo alio populo praeter Batavum cernuntur, semina diligenter excitanda atque excolenda sunt in animis ingeniisque juvenum, qui nobilissimam

artem aliquando sunt professuri. Neque minori curâ praecavendum erit, ne vitia popularia in eorum mentes irrepant. Quamobrem a Germanis desumant purum illum atque sincerum scientiae amorem, quo ducti nil actum reputant, dum quid superest agendum: a Gallis eam elegantiam, quam praedicavi, et admirabilem in cogitando et disserendo perspicuitatem, atque artis forensis multiplicem usum: ab Anglis denique civilem prudentiam, eximiam scientiae et artis omnis ad vitae utilitates conjungendae facultatem, intimumque libertatis civilis sensum, quo haec gens prae aliis omnibus hodie ducitur. Verum ita has aliorum populorum virtutes sibi comparent, ut ex Academiis nostris magis magisque prodeant, qui aliquando fiant et habeantur, Jureconsulti vere patrii!

Quae, me Rectore, Academiae Groninganae fata fuerint, superest, ut commemorem. Fuerunt illa bona: si tamen fata dicenda sunt, nec potius luculenta Dei erga nos et Academiam, quam nostram omnes appellamus, beneficia. Quamquam laetis interdum mixta tristia fuerunt: conditionem enim, qua nati sumus et vivimus, hoc quoque anno experti fuimus.

Vos enim intuentes, Viri Illustrissimi, Academiae Curatores! laetamur, salvos vos esse atque incolumes; unumque vestrum, quem omnes veneramur, ego autem inprimis amo atque diligo, merita existimationis, auctoritatis mitisque sapientiae praemia tulisse. Honores enim, quos consilium delectorum ab ordinibus provincialibus ad coetum legiferum civium ipsi tribuit, a Rege non tantum comprobati, verum etiam postea duplici accessione aucti fuerunt. (16) Vobiscum vero dolemus, in eo sene, qui olim bis, diversis admodum rei publicae temporibus, collegio vestro adscriptus fuerat, exemplum interiisse avitae prudentiae, abstinentiae, raraeque rerum scientiae, sine qua paratus esse Senator, judice CICERONE, nullo pacto potest, quae autem eum ita ornabat, ut in rebus civilibus omnibus paratissimus esset. Ea utique exquisitae doctrinae laude inclaruit HENRICUS LUDOLFUS WICHERSUS, quae sola curatorio eum munere, quod recte nisi ab erudito viro administrari non potest, dignissimum reddidisset. Ex patricia gente ortus inter nobilitatem ita eminuit, ut exemplum exprimeret principum illorum virorum, quorum manu respublica olim gubernata fuit. Quorum haud paucos exquisitis ingenii facultatibus aequavit, longaevos aetate adeo superavit. Ut enim GUILIELMUM BUYSIUM, BRUNONEM DUSSENIUM, CORNELIUM HOPPIUM, omittam, qui saeculo decimo octavo omnes aut fere octogenarii aut fere nonagenarii mortui sunt, tres e FAGELORUM gente, non interrupta serie, per centum et octodecim annos, amplissimum Graphiarii Ordinum Generalium munus, unum illud in paucis gravissimum in re publica foederata ministerium, impleverunt. WICHERSUS

nonagesimo tertio aetatis anno fato cessit. Equidem, Auditores! talium seniorum mortem non tam ipsorum causa lugere soleo, haec enim optabilis iis esse debet, quam quod eorum obitu irreparabilis jactura illarum rerum fit, quibus anteriorum temporum, virorum, qui olim excelluerunt, consiliorumque, quibus res publica administrata fuit, innumerabilium omnino negotiorum, scitu dignissimorum, memoria illustrari posset. Quo magis gaudemus, virum illustrissimum et ipsum edidisse perpetuae utilitatis opus, et alia reliquisse, quae, quoniam laudes maximas a peritissimis hujus rei arbitris tulerunt, ut aliquando edantur, vehementer optamus (17).

Wichersi ingenium sagacissimi viri suspicere solebant. Qui tibi, nobilissime rengers! paulo ante obitu affinis tui adflicto, ereptus fuit, avunculus leopoldus, comes a limburg stirum, omnibus ille bonis flebilis occidit: diutius enim in vivam instauratae patriae et receptae libertatis recordationem servare eum voluissent. Plerique jam eorum, quibus omnia tum patria debuit, occubuerunt. Hos hoc anno secutus est aetate pariter atque virtutibus spectabilis avunculus tuus, quique illorum omnium nomina immortalitati commendavit, ipse immortaliter de patria, literis et re Christiana meritus, palmius. Verum, etsi oculis nunc desideramus egregios viros, vivet aeternumque vigebit in animis popularium eorum memoria, quae succrescenti juventuti pie adsidueque colenda a patriis quoque juris Antecessoribus commendabitur.

Noster Ordo, Viri clarissimi! orbatus viro est, cui nos, uti ipse sibi, fallaci spe, longiorem vitam destinaveramus. In initio enim mensis Aprilis, acuto et acerbo morbo succubuit joannes hermannus gerhardus wolters, in Facultate Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum Professor Ordinarius, anno aetatis sexagesimo septimo. Natus est in urbe Cliviensi, ubi pater *Rationalis* munere fungebatur. Quem cum puer amisisset, primum cum matre Amstelodamum, deinde Roterodamum commigravit. In utraque urbe literarum humaniorum elementa percepit. Nutrivit ea studia institutio, qua fruitus est in Academia Harderovicina, ita ut, viginti annorum juvenis, ad scholae Doccumanae rectionem vocaretur. Deinde Groningae praeceptoris, Harderovici Conrectoris, munus gessit: brevi post in

hanc urbem redux tanta cum doctrinae atque elegantiae laude tamque bona aliorum de se opinione juventutem scholasticam docere scholasque Latinas regere existimatus est, ut anno MDCCCX in Academia nostra delata ei fuerit literarum Orientalium professio (18).

Equidem virum cognoscere coepi, cum jam consenuisset: facile tamen animadverti, quod omnes mihi, qui in aetatis eum flore atque vigore accurate cognoverant, confirmaverunt: esse eum acutissimi hominem ingenii, sollertissimum rerum humanarum, errorum inprimis vitiorumque humanorum, exploratorem: sale et facetiis ita abundantem, ut multos, prouti vellet, aut ad se adliceret aut a se arceret: virum candidum, multarum utilissimarum rerum, quam sibi legendo comparaverat, notitiâ excellentem: artium, musices inprimis, admiratorem. Quo animo collegae, quos interior eiusdem Ordinis necessitudo cum eo conjunxerat, haud exspectatum nuntium de morte ejus acceperint, efficimus ex iis, quae, paucis post obitum WOLTERSI diebus, unus eorum publice declaravit, qui eo per viginti quinque annos collega usus est. Nobis omnibus incumbit, Auditores! grata mente virtutes recordari, quae in defuncto cernebantur.

Huius igitur mors ad totum nostrum Ordinem pertinuit. Nemo tamen fuit, qui mortem earum matronarum, quae et viduae Professorum Groninganorum fuerunt et tribus collegis sanguine, affinitate, caritate coniunctae, non ad nos omnes pertinere existimaverit. Fuerunt illae JOHANNA ARITIA ADRIANI et JUDITHA FRANCINA DRYFHOUT, utraque muliebris sexus ornamentum, Christi discipulae. Amori et desiderio, quo tu, amicissime DE LA FAILLE! matrem, vos, collegae egregii, LULOFS et HOFSTEDE DE GROOT! MUNTINGHII viduam, quam matris instar colitis, prosequimini, universa civitas merito consentit. Nam magna est talium foeminarum jactura, quarum modesta virtute et domestica diligentia, quae aliis constanter prospicit, non minus quam extraneâ virorum exercitatione praesens et futura civium civitatisque sors continetur. Itaque parentum, eorumque, qui parentum nobis instar sunt, virtus tanta dos est, ut non solum vita eorum nos beët, sed etiam mors ipsa arctius quam antea cum

iis conjungat. Et, quem ex ea percipimus, dolor adeo est salutaris, ut toto animo tandem in sapientissimi Dei, amantissimi nostrûm Patris, consiliis acquiescamus.

Alii collegae domestica vulnera acceperunt: tu maxime, vir aestumatissime SEBASTIAN! qui patrem tuum his ipsis diebus amisisti; patrem, et vitae et vitae bene agendae auctorem; virum clarissimum, ejusdem artis, ad quam te instituit, Professorem. Penitus persentio, in quanto nunc luctu tu vivas. Tecum lugemus: tecum Deum precamur, ut te tuosque, jam adflictos, erigat!

Etsi immaturam juvenum mortem vocare solemus, vestram tamen aetatem, commilitones optimi! plures mortis causas habere, tristi denuo hujus anni experientia fuit confirmatum. Erepti enim vobis, parentibus, praeceptoribus suis, quinque adolescentes sunt: TJAARDA DE COCK, LAMBERTUS OORTWYN DE JONGE, THEODORUS KUIPER, LEONARDUS POPTA, LUBBERTUS VAN BRUGGEN, quorum plures multis vestrûm ignoti occubuerunt. Primus enim vix in studiosorum numerum receptus erat: duo ob morbum corpori irrepentem frequentem studiorum intercapedinem facere debuerunt: KUYPERUM vero et POPTAM cum aestimabatis ob diligentiam atque industriam, quam vobis et doctoribus suis probaverant, tum amabatis ob morum integritatem simplicitatemque. Igitur carissimorum capitum memoriam ipsamque mortem ita nos semper meminisse oportebit, ut studia nostra nos simul intimae artium doctrinarumque scientiae initient atque vitae illi, quae sola vita dicenda est.

Haec igitur tristia nobis acciderunt. Longe autem maiorem gaudii, quam doloris materiem Academia habuit. Duo viri enim ad eam accesserunt, a quorum doctrina, industria, exemplo, benevolentia, optima quaeque exspectamus. Non iterabo, viri clarissimi! quae aliis opportunitatibus vobis significavi. Hoc unum addo: neminem, LENTINGI! in nostro ordine inveniri, quin in accurata antiquarum scientia linguarum totiusque antiquitatis cognitione, optimum, imo unicum, situm esse existimet verae

eruditionis et fundamentum et praesidium: neminem, amicissime MUURLING! fuisse, quin optaverit, ut ea mente in hac Academia diu sanctissimam disciplinam professurus esses, qua WESSELUS GANSFORTIUS Groninganus eam excoluisset, si nunc vixisset. Fausta quaeque vobis in hac nova vitae statione denuo adprecamur, feliciterque inceptum munus gratulamur.

Qui LULOFSIO, GROTIO, SEBASTIANO et BAARTIO DE LA FAILLE, quem bis adeo viri docti suffragiis suis ornaverunt, a societatibus literatis tum patriis tum exteris decretus honos fuit, nobis omnibus gratus accidit. Etenim in laetis omnibus rebus, quae Academiae contingere possunt, quid tandem laetius cogitari potest, quam florere eam virorum probatissimorum doctrina et fama, omniumque collegarum erga omnes benevolentia? quae quidem in nostra Academia tanta est, ut si minus externis bonis, at magno illo bono gloriari vel potius gaudere merito posse videatur.

Quamquam externa illa bona minime contemnimus. Sunt enim ad perpetuitatem composita, et necessaria institutionis Academicae subsidia, quae magis magisque augentur, satis vero augeri nequeunt. In prosperis igitur censemus, musaea, hortos, bibliothecam, nosocomia, physicorum et chymicorum instrumentorum adparatus summa diligentia conservata esse atque aucta; non tantum publico sumtu, verum etiam privatorum donis. Ita honestissimus civis, JOANNES OOMKENS filius, Academiae typographus, bibliothecam Academicam auxit exemplari omnium eorum librorum, apud eum editorum, quibus adhuc illa careret: pro qua liberalitate, Academiae nomine, gratias ei agimus. Pariter musaeum zoölogicum et mineralogicum ex musaeo regio Leidensi dono accepit multa specimina animalium et mineralium, quae ibi superabant. Emta praeterea fuit Heidelbergae utilissima collectio speciminum geologicorum, justo ordine ad praesentem disciplinae conditionem dispositorum, extraordinaria pecunia, a Curatoribus, viris amplissimis, concessa. Bibliothecae autem usus facilior etiam efficietur et fructuosior, quoniam indefessa Bibliothecarii cura, *nil actum reputantis, dum quid supersit agendum*, supplementum catalogi typis jam exprimi coeptum est. Denique nonnulla aedificia incrementum

ceperunt: inprimis musaeum anatomicum et oeconomiae ruralis instrumentis destinatum. Est igitur, Auditores! quod vehementer laetemur, collegarum et curatorum providentiâ multa utilia et optima studiorum subsidia rebus nostris accessisse.

Verum, quod inprimis commemorare juvat, floruit hoc anno Academia, uti proximis superioribus, studiosorum erga nos omnes observantiâ, qua non tantum nostrum docendi atque instituendi munus jucundissimum reddiderunt, sed meum etiam annum adeo placitum atque quietum, ut fasces nullam molestiam habuerint. Cuius quidem magistratus recordatio suavissima semper erit animo meo: eoque magis, quo certius mihi persuasum fuerit, optimi juvenes! non mihi vos, sed Academiae Rectori obsequium tribuisse. Nobis, Auditores! discipulos esse, nonnullis exceptis, quales omnes omnino Academiae tulerunt et semper tolerare debebunt, sed discipulos nobis esse, pacis, bonorum morum, bonarum quarumvis artium, studiosos, modestos nobis juvenes esse, quae virtus mihi, hac, qua vivimus, aetate, in praesenti patriae conditione, in qua haud pauci, saeculum potius quam morem majorum secuti, insolenter sese suasque opiniones efferre coeperunt, praecipua quaedam in juventute videtur, vos testes advoco, collegae optimi! vos, huius urbis cives! Fuerunt adeo, qui nomen suum aliis Academiis commendarent, et in unico certamine, quod cunctis Academiarum et Athenaeorum nostrorum civibus nunc proponi solet, nostrae Universitatis dignitatem strenue tuerentur. Nam in Academia Traiectina, in qua memini me JODOCUM HERINGA, ELIZA patre, Rectorem Magnificum, cum magistratu abiret, praemiumque tribueret praeclarae spei juveni, PETRO HOFSTEDE DE GROOT, quam hic non omnino fefellit, dicentem audire, non sine ea animi voluptate, quam prodere ore et vultu vir praeclarus semper solebat, quando quae Academiae suae honori essent commemoraret: « honorificum GROTIO « et Academiae Groninganae praemium esse: neminem antea Groninganum « in Trajectina Academia eo fuisse ornatum: » in eadem igitur Academia deinde saepius Groningani praemio ornati fuerunt, et hoc ipso anno civis noster THODEN VAN VELZEN, qui optime respondit ad quaestionem literariam: cum secundis honoribus a Facultate disciplinarum mathematicarum et

physicarum digni habiti sunt VERWERUS noster et COHEN. Quo minus dubitandum, quin hoc anno, quo partes certaminis literarii indicendi ad nos pervenerunt, suam sint Academiae existimationem adversus omnes egregie vindicaturi juvenes nostri.

Itaque Graphiarium rogo, ut propositas quaestiones praelegat.

QUAESTIONES.

Unum peragendum superest, quod felix faustumque esse iubeat Deus Optimus Maximus! Decreto Regio mihi successor datus est JACOBUS BAART DE LA FAILLE. Hunc ergo huius Academiae Rectorem in annum, quem ingredimur, renuntio ac proclamo.

Salve, magnifice Academiae Rector! cui primus exopto, ut eandem experiaris collegarum fidem discipulorumque benevolentiam, quam mihi praebuerunt: inprimis autem, ut idem Dei Optimi Maximi in Academiam et te favor tibi contingat, quo me, tantis muneribus prorsus indignum, dignatus est! Pro quibus beneficiis Huic sit laus et honos et gloria in aeternum!

ADNOTATIO.

(1) Cf. eximia viri illustris disputatio: *Wesen und Werth der Deutschen Universitäten*, in LEOPOLDI RANKII opere, inscripto: *Historisch-Politische Zeitschrift*, Hamburgi edito, a. 1832. Vol. I., pag. 575 sq.

(2) Cf. egregius PLUTARCHI *περὶ τοῦ ἀκούειν* libellus, cap. I.

(3) Sunt verba viri cl. HOLTII in erudita Oratione *de liberalitate majorum nostrorum, quae academiis instituendis augendisque cognita est*, p. 8. Exstat in annalibus Acad. Rheno-Traject. Ann. CIↃIↃCCCXXXV — CIↃIↃCCCXXXVI.

(4) Bene id exprimitur in scripto: *Bedenkingen over de Hoogescholen en het Akademisch Onderwijs van de Letterkundige Faculteit aan de Universiteit te Gent.* Ter Universiteits drukkerij. 1828. p. 1. « De Hoogescholen, » ita disputant viri clarissimi, « kunnen niet meer als vereenigingspunten van kennis en wetenschap beschouwd worden, in dien zin, in welken « zij dit voormaals waren. Zij behoorden toen meer aan de wetenschap in 't algemeen, « dan aan een bijzonder landsbelang; terwijl diegenen, welke zich op de verkrijging en « verspreiding van kennis toelegden, in zoo verre eene nadere betrekking hadden tot een « gemeen letterkundig gemeenebest, waarvan de Universiteiten als de hoofdsteden waren, « dan tot hun Vaderland. In den tegenwoordigen tijd zijn de Universiteiten landsinstellingen, en hare strekking betreft bepaaldelijk den Staat, in welken zij zijn gevestigd. *De « Hoogescholen zijn hierin den gang der gezamenlijke wetenschappelijke beschaving gevolgd, die zich « meer en meer met het eigenaardige en nationale van elk volk heeft verbonden.* »

(5) Ab auctore Epistolarum *over Universiteiten en Hooger Onderwijs.* Leiden 1828, 1829, quae eruditione, urbanitate, sale abundant, Epist. I, p. 9 sqq. Cf. Epist. VI., p. 36 sqq. Eundem locum respicit M. SIEGENBEEK, *Iets over Hoogescholen, de Onderwijzers en het Onderwijs op dezelve.* Leiden 1828, p. 8 et 9.

(6) Ea de re diserte suam sententiam pronuntiavit Auctor epistolarum modo memoratus, Epist. VI, p. 5. Hic enim, de liberalitate disserens maiorum nostrorum in invitandis exteris ad patrias Academias, hoc addit: « Dit was geen dwaze vooringenomenheid met alles, wat « van elders werd aangebragt. Getuigen de onafgebroken en nimmer verzaakte of verbasterde « toon der Hollandsche geleerdheid, voortspruitende uit onze nationaliteit. Minder dan « elders werd hier aan de grillige zucht naar nieuwigheden geofferd, of van de geleerdheid » eene fabriek gemaakt, die veel en spoedig moest leveren. Wij deelden deze gezindheid « mede aan hen, wier talenten wij het geluk hadden uit hun vaderland herwaarts over « te brengen, en die voortreffelijke mannen beschouwden Holland als hun tweede vaderland, « aan welks roem en welvaart zij gaarne alle hunne vermogens te koste legden. Zie daar « het ware leven der geleerde en beschaafde wereld. » Cf. HOLTIUS, in Orat. mem. p. 24 sq. Itaque in artium doctrinarumque studium et cultores sine dubio valet, quod de ingenti peregrinorum in patria nostra affluentia universe merito animadvertit GROEN VAN PRINSTERER, *Proeve over de zamenstelling eener algemeene Nederlandsche Geschiedenis*, 's Grav. 1830, p. 108. « De onophoudelijke toevloed, in het bijzonder van Franschen « en Duitschers, wel verre van de kenschetsende trekken der Nederlanders uit te « kunnen wisschen, schijnt door de kracht der nationaliteit met de Nederlandsche Natie « vereenzelvigd te zijn. »

(7) Juvat hic apponere verba Auctoris Epistolarum memorati, Epist. I. p. 10. « Mij dunkt, ik heb de zaak smakelijk genoeg gemaakt; en nog wil men er niet aan. « Verheug u met mij; want ik ontdek eene vonk van edel gevoel bij de voorstanders « der *behoefte*. Blazen wij die vonk aan, eer dat zij geheel door de magt van hunne « bekrompene beginsels wordt uitgedoofd. Het vaderland, en een regtmatige trots op « deszelfs eer en roem, zie daar 't geen nog leeft in de harten. Men verlangt niet alleen « dat onze jongelingschap onderwezen, maar ook in vaderlandsche zeden en beginselen « opgevoed worde. — Er schuilt meer. Eene zwakke en verborgen stem roept hun uit « hun binnenste toe: Sta de eer van eigene inrigtingen te hebben voor geleerdheid niet « af aan den vreemdeling! »

(8) Significo Orationem Viri Cl. A. A. SEBASTIAN *de animo et ingenio gentium suis de medicina meritis evidentissimo*. Exstat in Annalibus Academiae Groning. A. CIↃIↃCCCXXXVI — CIↃIↃCCCXXXVII.

(9) Cf. CICERO, Tusc. Q. L. I, c. 13, de Invent. L. II, c. 53.

(10) Cf. ARISTOT. Polit. Lib. I, c. 11 et 12, ed. STAHRII. Cf. WILHELM GÖTTE, *Vorschule der Politik*, Lips. 1840, p. 5, in adn. « Der Staat war eher als wir, soll länger dauern « als wir, kann ohne uns dauern, ist das ἴδιον, wir das συμβεβηκός oder accidens, *er* « das Wesentliche, *wir* das Zufällige, » rel. Prorsus ex antiquae politices principiis. Contra

recentiores a privato singulorum arbitrio totum jus publicum derivarunt, idemque ad illud retulerunt In hos igitur crimen merito confertur, quod immerito a VOLLGRAFFIO et GOETTIO gentibus Germanicis obiicitur: eas nunquam vitam vere civilem vixisse. « In der That (sunt verba GOETTII, p. 6.) » hat sich der Germane auch nie zum wahren Staatsleben erhoben; « er kennt nur ein Einzel- ein Familien-Leben in einer Form, welche er Staat nennt. » Dicendum videtur, homines singulares ita cum Deo conjunctos natura esse, ut simul cum aliis sui generis superioris communionis vinculo sociati in hoc terrarum orbe vivant. Quae autem ARISTOTELES civitati tribuit, recentiores gentes Ecclesiae tribuere, debent Christi i. e. illi societati sacrae et morali, cujus socii sunt omnes, qui ejus auctori fidem habent, ei obtemperare student, quique et religionis, quam profitentur, indole, et externis nonnullis ritibus, omnium autem maxime vitae, quam a Jesu Christo acceperunt et adhuc accipiunt, communione, a reliquis hominibus plane sunt distincti: dum multae illae diversae, in quas hi etiam inter se sunt divisi, familiae et sectae nihil sunt, nisi unius spiritus et cum Christo communionis formae diversae, magis minusve perfectae. » Sunt fere verba Viri Cl. HOFSTEDE DE GROOT, *Institutiones Historiae Ecclesiae Christianae*, Gron. 1835, § 1.

Hae formae diversae, quae ipsae *Ecclesiae* dicuntur, uti etiam aliae societates externae, praeter Christianam, in *civitatibus* demum libere excoli possunt, quae sunt *exterae* societates omnium summae atque principes, quibus reliquae omnes continentur. Non enim nimium civitati tribuendum est, quae antiquitatis ratio fuit, sed suum, quod recentiores fere neglexerunt. Hi singulis privatis hominibus nimium concesserunt: quamquam semper tenendum est, homines vivere in civitate, tanquam in perpetua et praecipua societatis terrestris forma, ut semet ipsos aliosque instituant ad aeternam societatem vitamque coelestem *singuli*.

(11) Vir Clar. BOLTIUS in Orat. laud. pag. 32, antiquas literas merito memorat « quas dii immortales ad recreandum genus humanum conservasse videntur. »

(12) CIC. de Invent. Lib. II, c. 4.

(13). Quaenam vera sit jurisprudentiae tractandae ratio, quam nostra aetate persecutus est summa cum constantia SAVINIUS, et suo exemplo suaque auctoritate maxime commendavit, quaeque vulgo historica vocatur, ipse strictim indicavit in praefatione operis inscripti: *System des heutigen Römischen Rechts*, Berlin, 1840, p. XIV et XV, et, quod magis est, eandem in eo opere ita omnibus probavit, ut dubitandum vix videatur, quin hoc saluberrimam vim cum in reliquas jurisprudentiae partes recte excolendas habiturum sit, tum in philosophiam de natura juris, quam recte physiologiam juris vocaveris: quae omnium maxime tali aut sospitatore aut certe adjutore indigebat. Adeo inepta fuit eorum opinio, qui contenderent, historicam scholam philosophiam contemnere, vitiosa instituta tueri, omni progressioni civili adversari, eandemque iuris romani auctoritatem et principia juri gentium Germanicarum obtrudere velle, ut contra SAVINIUS veram iuris philosophiam

profiteatur, atque ita praesentia praeteritis nectere studeat, ut prudenter atque apte futuris prospiciatur. Idem juri atque institutis civilibus excolendis perpetuam operam dat, Romanaque instituta ab institutis recentioribus summa cura atque subtilitate distinguit. Nihil addo de incomparabili viri arte et scientia, vel orationis, qua usus est, elegantia. Illud speramus, nostrates, *qui non semper juste de schola historica judicant* (sunt verba BIRNBAUMI in dissertatione BARTI POST *de analogia ab interpretatione extensiva recte distinguenda* etc. Tielae 1840, p. 61), tandem aequius de ea pronuntiaturos esse. SAVINIUS inter alia haec disputat: « Die geschichtliche Ansicht der Rechtswissenschaft wird völlig verkannt « und entstellt, wenn sie haüfig so aufgefasst wird, als werde in ihr die aus der « Vergangenheit hervorgegangene Rechtsbildung als ein höchstes aufgestellt, welchem die « unveränderte Herrschaft über Gegenwart und Zukunft erhalten werden müsse. Vielmehr « besteht das Wesen derselben in der gleichmässigen Anerkennung des Werthes und der « Selbstständigkeit jedes Zeitalters, und sie legt nur darauf das höchste Gewicht, dass « der lebendige Zusammenhang erkannt werde, welcher die Gegenwart an die Vergangenheit « knüpft, und ohne dessen Kenntniss wir von dem Rechtszustand der Gegenwart nur « die aüssere Erscheinung wahrnehmen, nicht das innere Wesen begreifen. In besonderer « Anwendung auf das Römische Recht geht die geschichtliche Ansicht nicht, wie von vielen « behauptet wird, darauf aus, demselben eine ungebührliche Herrschaft über uns zuzuwen- « den; vielmehr will sie zunächst in der ganzen Masse unsres Rechtszustandes dasjenige « auffinden und feststellen, was in der That Römischen Ursprungs ist, damit wir nicht « bewusstlos davon beherrscht werden: dann aber strebt sie, in dem Umkreis dieser « Römischen Elemente unsres Rechtsbewusstseins dasjenige auszuscheiden, was davon in der « That abgestorben ist, und nur durch unser Misverständniss ein störendes Scheinleben « fortführt, damit für die Entwicklung und heilsame Einwirkung der noch lebendigen « Theile jener Römischen Elemente um so freyerer Raum gewonnen werde.

« Das vorliegende Werk insbesondere geht so wenig darauf aus, dem Römischen Recht « eine übermässige Herrschaft zuzuwenden, dass es vielmehr die Anwendbarkeit desselben « in nicht wenigen Rechtslehren bestreitet, worin sie bisher allgemein angenommen wurde: « selbst von Solchen, die sich stets für Gegner der historischen Schule erklärt haben. « Eine Sinnesänderung des Verfassers kann hierin nicht gefunden werden, da derselbe « diese Ansichten grössentheils schon seit Dreyssig bis Vierzig Jahren öffentlich vorgetragen « hat; es liegt also in dieser Erscheinung vielmehr der Beweis, dass der angegebene Vorwurf, « den man der historischen Schule überhaupt, und mir insbesondere, zu machen pflegte, « ganz ohne Grund ist. » System. etc. Vol. I. Praef. pag. XV.

Itaque, si universam rationem jurisprudentiae tractandae, quam perpetuo secutus est et cum exemplo suo tum praeceptis commendavit SAVINIUS, recte attenderis et ad omnem hujus disciplinae ambitum traduxeris, fatendum est, ni fallor, sponte ea cadere argumenta, quae non sine judicii acerbitate, cuius tamen ipsum postea poenituisse videtur, huic rationi

objecit GANS, in praefatione Vol. I operis, inscripti: *Das Erbrecht in weltgeschichtlicher Entwickelung*. Berlin, 1824, et in ipso opere passim. Nihil enim obstat, quominus secundum FEUERBACHII et THIBAUTII vota, Orientalium quoque populorum, imo barbararum adeo gentium jura dignam materiem studiis suis sumant, qui ex SAVINII mente jurisprudentiae operam navant. Et vero sponte ducere ejus rationem ad vere philosopham inquisitionem in juris naturam, nuper egregie ostendit G. F. PUCHTA, *Cursus der Institutionen*, 1ster Band, Leipzig, 1841. In libro enim primo de hominis spiritu, ratione, libertate ejusque limitibus, de juris notione ejusque ad ethicen relatione, de modo, quo haec notio sese explicuit in historia gentium, de origine, singulis fontibus, flexibili natura juris, de juris necessitudinibus atque institutis, ad perfectionem absolutionemque aptis, denique de juris scientia, ita disseruit, ut diluere voluisse videatur crimen, quo historicos Jureconsultos, praeter SAVINIUM, (hic enim, ita disputat, « durfte sich der Untersuchung über die letzten « Gründe des Gerechten überheben, sein Sinn leitet ihn sicher, durch eine künstlerische « Kraft bildet er ganz und vollendet, wozu erst langsam die angestrengteste philosophische « Forschung hinführt ») sed quo reliquos arguit F. J. STAHL, *Die Philosophie des Rechts nach geschichtlicher Ansicht*, vol. I., Heidelb. 1830, in praef. p. VIII, cuius voluminis se alteram editionem parare mihi significavit vir clarissimus.

Nos autem omnino adsentiendum censemus sententiae, quam professus est F. E. BENEKE, in praeclaro opere, in quo Benthami principia multum emendavit et multo fructuosiora reddidit ad vitae civilis et scientiae usum: *Grundsätze der Civil- und Criminal Gesetzgebung aus den Handschriften des Engl. Rechtsg.* J. BENTHAM, *herausg. von* E. DUMONT, *für Deutschland bearbeitet und mit Anmerkungen;* Berlin 1830, vol. I., praef. p. XIV. Contendit ibi, cum nullorum Jureconsultorum ratione Benthami principia, si non specie te decipi patiaris, sed interiorem eorum vim attendas, melius conciliari posse, magis omnino concinere, quam cum placitis, quae proposuerunt historici Jureconsulti, HUGO inprimis et SAVINIUS. « Nach meiner Ueberzeugung, » ita persequitur « ist diese *historische* Rechtsansicht die einzige, welche auch eine wahre *philosophische* Begründung zulässt; und alle Fortschritte der philosophischen Forschung werden nur dazu dienen, den richtigen und feinen Sinn in ein helleres Licht zu setzen, mit welchem jene grossen Rechtsgelehrten die innerste Entwickelung des Rechtes aufgefasst haben. »

Eodem autem anno, quo SAVINII liber prodiit (verba, quae ex hoc opere attuli, *aurea* a BIRNBAUMO dicuntur l. l.) historica schola, quae tamen schola appellari non debet, in extraordinario coetu Hagae comitum congregato ad suffragium ferendum de mutata imperii lege, ab egregio jurisconsulto, de patria optime merito, vocata fuit « revolutionnair, » eene school van ontbinding, van wegredenering, van wegcijfering! ! » ut auctor nobis est G. GROEN VAN PRINSTERER, in opere: *Adviezen in de Tweede Kamer der Staten-Generaal in dubbelen getale.* Leiden, 1840, p. 132 sq.

Multi existimant, historicae scholae principia maxime contineri quaestione: utrum jus populi Codicibus comprehendi debeat nec ne? Quem errorem acute perstringit BENEKE, l. l. « Es wäre « sehr zu wünschen, » ita disputat, « dass man diese, wenn auch *praktisch* höchst wichtige, « doch für die *Wissenschaft* untergeordnete und, gemäss den *verschiedenen Verhältnissen* verschie- « dener *Völker* und *Zeiten*, *verschieden* zu entscheidende Streitfrage schärfer auseinanderhielte « mit der viel weiter greifender und durch eine *tiefere philosophische Construktion* allgemein zu « entscheidenden: ob ein *unbewegliches*, oder ein *bewegliches*, *mit der geschichtlichen Entwicke-* « *lung sich veränderndes Recht* in der menschlichen Vernunft begründet sei. In Hinsicht dieser « letzteren Frage is BENTHAM entschieden mit SAVIGNY einstemmig. In der Streitfrage über « die Codification erklärt er sich allerdings für die Meinung, dass unser Zeitalter zu einer « Gesetzgebung berufen sei. » Alii contendunt, Jureconsultos historicos, qui flexibilem omnis juris cursum esse docent, eamque sententiam immobilitati, quae juri rationali tributa fuit, opposuerunt, negare, jura populorum perfici posse et magis magisque debere. Haec opinio adhuc est Itali Jureconsulti MARZUCCHI, in praefatione ad *Annali di Giurisprudenza*, qui inde a mense Maii 1841 Florentiae prodeunt. Hic, celebratis HUGONIS et SAVINII *de jurisprudentiae Romanae studio* meritis, haec addere non dubitavit. « Ma non possiamo « ad un tempo nascondere, che quando l'HUGO esplicitamente, e tutta la scuola istorica « implicitamente nega la esistenza di un Diritto naturale, educa le menti allo scetticismo, « e quasi al fatalismo, o per lo meno ad una rassegnazione sull' andamento delle cose « umane, che non sappiamo come possa dirsi vantaggiosa al perfezionamento sociale. » Cff. *Kritische Jahrbücher für Deutsche Rechtswissenschaft*, (VI^ter^ Jahrgang) 1842, p. 179.

(14) *Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte*, Edit. 4^tae^, Vol. IV, p. 710 sqq., qui de principiis juris, quae superiori saeculo ad finem vergente per totam Europam propagata fuerunt, eorumque vi in leges et instituta populorum inprimis Germaniae eximie egit.

(15) Qui novit DUPINI de jure opuscula, in usum studiosae juventutis scripta atque edita, haud mirabitur hoc judicium. Cf. inter alia *Revue de législation et de jurisprudence publiée sous la direction de M.* WOLOWSKI, vol. III, p. 59 et sqq., et 377 sqq.

(16) Cf. ROLTII *Responsio ad quaestionem de jure, auctoritate, dignitate jureconsultorum Romanorum*, edita ab tertia Classe Instituti Regii Belgici, p. 25 sq.

(17) Significo Virum nobilissimum, amplissimum ONCONEM VAN SWINDEREN VAN RENSUMA, socerum meum, qui superiori anno Praeses fuerat collegii tum ordinarii tum extraordinarii, ad quod pertinuerunt delecti ab Ordinibus Provincialibus ad Ordines Generales cives: a Rege autem primum creatus fuit Consiliarius extraordinarius, mox inter civitatis Proceres, qui legum ferendarum munus cum rege et electis ab Ordinibus provincialibus civibus participant, fuit relatus.

(18) De HENRICI LUDOLFI WICHERSI gente, vita, dignitatibus, scriptis, meritis dignus est, qui conferatur, Vir spectatissimus HENRICUS OCTAVIUS FEITH, in Ephemeridum Groninganarum Miscellaneis, diei 18 mensis Maii a. 1840. Natus est Groningae a. d. 10 Februarii a. 1747, mortuus a. d. 13 Maii, a. 1841. Curator Academiae fuit ab a. 1789—1795 et denuo ab a. 1815—1828, quando propter aetatem et oculorum morbum honestissimam a Rege missionem impetravit.

Scripta haec edidit. A. 1767, praeside praeceptore WYNPERSIO, dissertationem defendit *de moralitate juramentorum*. A. 1770 doctor juris utriusque creatus fuit, defensa dissertatione *de principio juris cogendi*. A. 1777 edidit opus, quod Principi Guilielmo V dedicavit, inscriptum, *lex hominum communis*, *secundum mentem* HUGONIS GROTII *proposita et dijudicata*. A. 1781, in volumine III operum Societatis Groninganae: *pro excolendo jure patrio:* prodiit ejus commentatio: *over de oude Groninger munten*. A. 1794 opus magni pretii, duabus partibus constans, edidit, cui titulus: *Verklaring van het Tractaat van Reductie*.

Multa adhuc inedita reliquit, editu dignissima, de quibus haec legimus apud FEITHIUM. « Van deze nagelatene handschriften moet ik hier noemen vijf geschiedkundige verhandelingen, waarin ik meermalen 's mans schranderheid en diepe kennis van dit gewest, en van deszelfs oude staatsvormen, lotgevallen en belangen, bewonderd heb; handelende de eerste: *over den inhoud der Unie van Utrecht*, *voornamelijk met betrekking tot de provincie Stad en Lande;* de tweede: *over het Tractaat van Reductie;* de derde: *over de twisten*, *welke daarna tusschen de Stad en de Ommelanden hebben plaats gegrepen*, met de vonnissen over dezelve, onder den titel: *Repertorium van zaken*, *in de Regering van Stad en Lande voorgevallen*, van 1601 tot 1748; de vierde: *over de Stads Jurisdictien;* en de vijfde: *over de Regering van de Stad Groningen en Ommelanden*, *sedert de Reductie van* 1594. »

Denique idem memorat magni laboris et magnae utilitatis commentationem a WICHERSI manu profectam, quam Provinciae Groninganae Ordinibus, mense Septembri a. 1790, obtulit: *Rapport over de Quotas*. Scilicet hi eum delegerant « als eerste Gecommitteerde « tot de uitgebreide en belangrijke Commissie tot regeling, verbetering of herstelling der « Quotes of Aandeelen der onderscheidene Provincien in de Generaliteits-uitgaven. » Ad conditionem aerarii foederati Belgii singularumque provinciarum illustrandam, imo ad historiam pecuniae publicae jurisque publici in patria nostra recte cognoscendam egregie inservire hanc commentationem mihi saepius professi sunt viri hujus rei peritissimi.

(18) Exstant duae Viri clarissimi Orationes in Annalibus Academiae Groninganae, a. MDCCCXXVIII — MDCCCXXIX et a. MDCCCXXIX — MDCCCXXX: altera *de literarum Orientalium studiis ab Arabica potius quam ab Hebraea lingua inchoandis*, altera *de iis*, *quae tristia ac laeta Academiae per annum praeteritum acciderunt*. Illa ab eo, cum Rectoris personam deponeret, haec, cum Prorectoris munere fungeretur, habita fuit.

DIXI.

ORDO LECTIONUM,
IN ILLUSTRI ACADEMIA QUAE GRONINGAE EST
in annum MDCCCXXXIX — MDCCCXL *proposita*
RECTORE MAGNIFICO
CORNELIO STAR NUMAN.

IN FACULTATE IURIDICA.

HENRICUS NIENHUIS, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora XII, *Ius Civile* interpretabitur; hora XI, die Iovis excepto, *Ordinem Iudiciorum viamque experiundi in causis civilibus* exponet; die Lunae, hora X, et Iovis, hora XI, *Ius Cambiale* tradet.

IACOBUS HERMANNUS PHILIPSE, diebus Martis, Veneris et Saturni, hora VIII, *Encyclopaediam ac Methodologiam Iuris*, adhibita C. A. DEN TEX, v. cl., *Encyclopaedia Iurisprudentiae*, ed. Amstelod. a. CIƆIƆCCCXXXIX, tradet; diebus Lunae, hora VIII et IX, Mercurii et Iovis, hora VIII, *Historiam Iuris Romani* enarrabit; diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX, *Institutiones* IUSTINIANI explicabit; diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora X, *Pandectas* interpretabitur.

CORNELIUS STAR NUMAN, diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora VIII, *Ius Criminale* docebit; hora IX, *Iuris Publici nostri principia* exponet, interpretanda lege de imperio lata. Die Iovis hora VIII et IX *Ius Gentium*; hora X, *Ius Naturale*; die Veneris, hora IX, *Ius Gentium*, hora X et XI, *Ius Naturale* tradet.

Disputandi exercitationibus cum publicis tum privatis lubentes praeërunt Iuris Antecessores.

IN FACULTATE MEDICA.

SIBRANDUS ELZO STRATINGH, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora X, *Medicinam Practicam*; diebus Veneris, hora XI, et Saturni, hora X, *Diaeteticam cum Medicina Politica* coniunctam; diebus Lunae, Martis et Iovis, hora XI, *Materiam Medicam* cum *Pharmacia Medica* coniunctam et *Semeioticam* diebus ac horis postea indicandis tradere constituit.

AUGUSTUS ARNOLDUS SEBASTIAN, *Physiologiam* docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora VIII atque alternis diebus Saturni hora IX; *Chirurgiam* exponet diebus Iovis, Veneris, hora IX et die Saturni hora VIII, eiusque *Praxin* in Nosocomio Academico quotidie hora media XII; *Anatomen Pathologicam specialem* tradet, diebus Iovis et Veneris hora VIII; *Anatomen corporis humani* exponet diebus Martis, Iovis et Veneris, hora media V, et die Mercurii, hora III; dissectionibus cadaverum Anatomicis tempore hyemali instituendis quotidie praeërit.

IACOBUS BAART DE LA FAILLE, diebus Lunae, hora VIII et IX, Martis et Mercurii, hora IX, *Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam* exponet; et in Nosocomio Academico, ad parturientium lectos, qualibet oblata occasione, practice instituet. Diebus Lunae, hora XI, et Saturni, hora IX, *Artis Obstetriciae partem Technicam* de industria fusius docebit. Diebus Lunae, hora X, Mercurii et Saturni, hora XI, *Pathologiam Generalem* explicabit. Diebus Mercurii et Saturni, hora X, *Medicinam Forensem* tradet. Diebus Martis et Mercurii, hora VIII, *Morbos Infantum* docebit. Singulis quoque diebus hora XII in Nosocomio Academico aegrotis curandis vacabit, morbosque ibi tractatos uberius exponet. — Disputationum exercitiis lubens vacare perget.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

THEODORUS VAN SWINDEREN, diebus Lunae et Martis, hora VIII, *Encyclopaediam Philosophiae naturalis* tradet, cui praemittet praecepta *Hodegetica*, sive *de studii ratione recte instituenda*, additis *Paedagogices principiis*. Die Mercurii, horis VIII et III, *Historiam Naturalem Animalium* et *Fossilium*, *inprimis patriae*, et *Animalium*, cum *Anatome comparata* coniunctam, docebit; diebus Lunae et Martis, hora III, vel verno tempore VII matutina, aut alia magis commoda, hoc anno, *Philosophiam Naturae* fusius explicabit; die Saturni, hora XII, *Oeconomiam Politicam* exponet.

SIBRANDUS STRATINGH, diebus Lunae et Martis, hora IX et Mercurii, hora XII, lectiones habebit *de Chemia generali et applicata*, illamque duce F. P. DULK vel alio auctore *Chemico* illustrabit. Diebus Lunae et Martis, hora X, *Chemiam Pharmaceuticam* Pharmacopoeae Belgicae accommodatam, practice

tradet, quam doctrinam duce G. W. SCHARLAU exponet. Denique, diebus Lunae et Martis, hora VI, *Technologiam Chemicam*, duce I. H. M. VON POPPE, in usum publicum tractabit, et *recentioribus inventis Chemiae applicatae* ornabit. Si qui porro sint, qui *Exercitiis Practicis Chemicis vel Technicis* operam dare velint, hisce horis matutinis IX — XII die Saturni vacabit et suis consiliis adiuvabit.

HERMANNUS CHRISTIANUS VAN HALL, die Martis hora XII et die Veneris horis VIII et IX, aestivo tempore etiam die Saturni hora VIII, *elementa Botanices* illustrabit. Die Mercurii horis IX et X aget de plantis *medicinalibus* aliisque vario respectu *utilibus*, sive de *Botanica applicata*, ordine Familiarum naturalium. Die Saturni autem, horis X et XI, *Oeconomiam ruralem* docebit.

JANUS GUILIELMUS ERMERINS, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XI, *Arithmetices*, *Algebrae*, *Geometriae* et *Trigonometriae planae* elementa explicabit; diebus Iovis et Saturni, hora IX, *Stereometriam* et *Trigonometriam Sphaericam* tradet: *Physicam experimentalem* docebit diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XII. *Astronomiam popularem*, nec non selecta *Matheseos sublimioris*, *Physicae et Astronomiae* capita quaedam horis auditoribus commodis exponet. *De Matheseos elementis disquisitio* habebitur diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora pomeridiana III.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

PETRUS HOFSTEDE DE GROOT, diebus Lunae, Martis, Iovis, hora X, *Historiam Ecclesiae Christianae*, inde ab initio usque ad nostra tempora, secundum *Institutiones* suas, typis divulgatas, sic enarrabit, ut hoc anno inprimis *historiam vitae Christianae* sit traditurus; diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora XI, *Johannis Euangelium* inde a Cap. XIII cum commilitonibus interpretabitur; die Mercurii et Veneris, hora X, *Encyclopaediam Theologi Christiani* tradet; die Iovis et Veneris, hora XI, *Institutiones* a se editas secuturus, *Theologiam Naturalem* exponet.

LUDOVICUS GERLACHUS PAREAU, diebus Martis, Mercurii et Iovis hora XII, *Theologiam Christianam moralem* exponet; die Lunae atque Veneris, hora XII, loca quaedam *Hermeneutices sacrae* exponet et *Psalmos* quosdam cum Commilitonibus interpretabitur; die Martis et Iovis, hora I,

summam Dogmatices Christianae tradet; et die Veneris, hora I, *Epistolam Pauli ad Romanos* cum Commilitonibus interpretabitur.

GUILIELMUS MUURLING, diebus Lunae et Iovis, hora IX, *Theologiae Christianae*, ex Novo Testamento haustae, tractabit *loca selecta;* — porro diebus Martis et Veneris, hora VIII, tradet *praecepta Homiletices et Eloquentiae sacrae:* — denique diebus Martis et Veneris, hora IX, exponet *Officia Antistitis in coetu Christiano.*

Disputationibus cum publicis tum privatis de *Locis Theologicis*, die Mercurii, hora III, suis vicibus praeërunt Theologiae Professores.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

CORNELIUS DE WAAL, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX, *Metaphysicam* tradet; hora XII, aut alia auditoribus commoda, *Philosophiae Moralis* partem alteram, id est *Ethicam* exponet; hora X, *Historiam Philosophiae recentioris per saecula aerae Christianae* enarrabit. Ceterum, si sint, qui *Theologiam Naturalem* tradi sibi cupiant, de hac cum discipulis consilium inibit.

BARTHOLDUS HENRICUS LULOFS, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII, secundum manuductionem suam et alium libellum, quem anno sequenti editurus est, *Fundamenta stili bene Belgici* exponet, *quaeque nonnulla ad scientiam originis, indolis atque grammatices linguae Belgicae, nec non ad historiam literarum Belgicarum pertinent;* additis *recte Belgice scribendi exercitationibus.* — Iisdem diebus, hora solita V post meridiem, alterum suum compendium secuturus, e *Rhetorica Belgica*, sive ex *Eloquentiae* atque *Poëseos Belgicae* praeceptis, selecta tradet, exemplis ex optimis, cum Belgicis, tum Graecis et Latinis recentiorumque gentium oratoribus atque poëtis illustrata, et adiunctis exercitiis, quae *Eloquentiae exteriori*, sive quae vocis et gestuum moderationi inserviant.

GERARDUS IOANNES MEIJER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XII, *Historiam patriae* exponet.

FREDERICUS CHRISTIANUS DE GREUVE, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X, *Encyclopaediam Philosophiae* explicabit; iisdem diebus, hora XI, *Logicam* docebit; diebus vero Iovis, Veneris et Saturni, hora I,

Historiam Philosophiae antiquae traditurus, imprimis SOCRATIS, PLATONIS et ARISTOTELIS philosophandi rationem exponet.

PETRUS VAN LIMBURG BROUWER, diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora IX, *Historiam Medii Aevi* tradet; iisdem diebus, hora X, *Antiquitatem Romanam*; diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora X, *Antiquitatem Graecam*, et hora IX, *gratis* explicabit ARISTOPHANIS *Nubes*.

IOANNES LENTING, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora X, SOPHOCLIS fabulam *Antigonen*, hora I, HORATII ita dictam *Artem Poëticam*, unam alteramque Satyram aut Epistolam, et TACITI *Germaniam* discipulis explicaturus est. Quorum si erunt, qui opus se facere velint minoris laboris, his quoque ducem se praebebit, de Graecis auctoribus, XENOPHONTIS legentibus *Cyropaediae* librum primum, aut *Socratis* aliquot *dialogos*, de Latinis, LIVII primum *Historiarum* librum, unam aliquam aut CICERONIS orationem, aut OVIDII narrationem, horis auditoribus commodis. Si erunt, qui privata disciplina HOMERI *Iliadem* vel *Odysseam*, XENOPHONTIS aliquod opus, HORATII carmina, SALLUSTII *Catilinam* aut *Iugurtham* cursim transire legendo velint, neque his deërit studii dux et adiutor. Disputationibus aderit, munus et officium doctoris in Gymnasiis tradet, quo conveniet die ac tempore.

Disputationes publicae per omnes Facultates instituentur diebus Mercurii et Saturni, *ab hora matutina undecima ad secundam, aut a tertia ad quartam.*

Bibliotheca Academica, diebus Lunae, Mercurii et Saturni, *ab hora matutina decima ad primam, et diebus* Iovis et Veneris, *ab hora secunda ad quartam, studiosis aliisque literarum amantibus patebit, iis legibus, quae in aditu ipsius Bibliothecae publice affixae sunt. In feriis autem aestivis Bibliotheca post meridiem non patebit.*

Museum Historiae Naturalis patebit die Mercurii, *ab hora* XII *ad* I.

Museum Anatomicum patebit die Martis, *ab hora* XII *ad* I.

Museum instrumentorum rusticorum patebit die Martis, *ab hora* XII *ad* I *et die* Iovis *ab hora* III ad IV.

Peregrinarum linguarum, nominatim Germanicae et Gallicae, cupidi suos hic reperient Praeceptores, publica auctoritate ad id constitutos, ut civibus nostris inserviant; neque etiam illi, qui equitandi arte instrui cupiunt, suo destituentur Magistro.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA GRONINGANA,

d. XXXI *Decembris* MDCCCXXXIX,

FUIT 288:

Quorum	Jurisprudentiae operam navabant.	51
	Medicinae.	66
	Disciplinis Mathematicis et Physicis	47
	In quibus 34 ad praeparanda studia Medicinae	
	Theologiae	59
	Philosophiae Theoreticae et Literis Humanior.	65
	In horum numero censendi 37 his disciplinis operam navantes ad praeparanda Jurisprudentiae studia; et 21 ad praeparanda studia Theologiae.	
		288

SERIES

DISSERTATIONUM DEFENSARUM

IN ACADEMIA GRONINGANA

MDCCCXXXIX — MDCCCXL.

ANNO MDCCCXXXIX.

Die 2 Novembris hora XII LEONARDUS HERMANUS VERWEY Franequera-Frisius, medicinae doctor creatus est defensa dissertatione obstetricio-medica de usu glomeris in metrorrhagiis post partum.

d. 7 Septembris hora XII vir doctiss. HENRICUS CANNEGIETER, ex pago Garrelsweer-Groninganus, Med. Doctor, creatus est artis obstetriciae Doctor, doctor defensis nonnullis thesibus obstetriciis.

d. 11 Decembris hora XII vir doctiss. Med. Doctor JACOBUS NICOLAUS VAN CLEEF, ex pago Borne Transisalanus, Artis Obstetriciae Doctor creatus est, defensis nonnullis thesibus obstetriciis, *magna cum laude.*

d. 14 Decembris hora XII DIDERICUS BOSTHUIS, ex pago Loppersum Omlandus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est, defensa disputatione Juricica de genuina usus natura ejusque ab usufructu differentia secundum Juris Romani doctrinam, *cum laude.*

d. 18 Decembris hora XI TJEPKE ULBES NOORDENBOS, ex pago Oudkerk Frisius, Medicinae Doctor creatus est, defensa dissertatione medica sistente Historiam criticam aetiologiae scabiei, hujus morbi originem ab acaris repetentis.

Eodem die hora XII HERMANNUS VAN GESSELER, Groninganus, Theologiae Doctor creatus est, defensa dissertatione Theologica, qua deducitur, quomodo, ex Pauli apostoli sententia ad religionem Christianam accipiendam praeparati sint Gentiles et Judaei, *cum laude.*

Die 21 Decembris hora XII vir doctiss. medicinae Doctor MATTHIAS JACOBUS VAN DER LOEFF, Hattuma-Gelrus, Artis Obstetriciae Doctor creatus est, defensis nonnullis thesibus obstetriciis.

Eodem die hora IV vir doctiss. Med. et Artis Obst. Doctor GERARDUS GUILIELMUS VAN RIEMSDIJK, Hardenberga-Transisalanus, Chirurgiae Doctor creatus est, defensis nonnullis thesibus chirurgicis.

ANNO MDCCCXXXX.

Die 25 Januarii hora V vir doctiss. Medic. Doctor ULRICUS JANUS HUBER, ex pago Dronrijp-Frisius, Artis Obstetriciae Doctor creatus est defensis nonnullis thesibus obstetriciis.

d. 27 Februarii hora III vir doctiss. WYBE HESSELINK, Sneca-Frisius, Medicinae Doctor, creatus est Doctor Artis Obstetriciae, defensis nonnullis thesibus obstetriciis, *cum laude.*

d. 1 Maii hora XI CORNELIUS HIDDINGH e Promontorio bonae-spei-Afer, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est defenso specimine inaugurali de iis, quae requiruntur in teste testamentario, ad articulum 991 Cod. Civ. Belg.

d. 13 Maii hora XII NICOLAUS SCHIK, Doccumo-Frisius, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est defenso specimine inaugurali de quaestione: utrum praestet communi de homicidio et vulneribus an propria lege vindicare certamen singulare.

d. 20 Maii hora XI vir doctiss. Medicinae Doctor GERARDUS TAAPKEN, Amstelodamensis, chirurgiae doctor creatus est, defensis nonnullis thesibus chirurgicis, *cum laude.*

d. 6 Junii hora XI JACOBUS MARTINUS NIEUBUUR, Harlinga-Frisius, Medicinae Doctor creatus est defensa dissertatione medica inaugurali de emphysemate pulmonum vesiculari.

d. 10 Junii hora XII WOLTERUS WOLTHERS, ex pago Scharmer-Omlandus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est defenso specimine Juridico ad Legem 2 cod. quae sit longa consuetudo.

d. 17 Junii hora XI MARCUS VAN DER TUUK, ex pago Anloo-Drenthinus, Medicinae Doctor creatus est defensa dissertatione de hypertrophia cerebri, *cum laude.*

Eodem die hora XII JOHANNES GOLDSCHMID NANNINGA, ex pago Veendam Groninganus, Medicinae Doctor creatus est defensa dissertatione medica de fabrica et functione processus vermiformis intestini coeci, *magna cum laude.*

Die 23 Junii hora XII JACOBUS BORGESIUS, ex pago Bellingwolde-Westerwoldanus, Medicinae Doctor creatus est, defenso specimine medico de asthmate thymico, *magna cum laude.*

d. 24 Junii hora X vir doctissimus, Medicinae et Artis Obstetriciae Doctor JACOBUS NICOLAUS VAN CLEEF, ex pago Borne-Transisalanus, Chirurgiae Doctor creatus est defensis nonnullis thesibus chirurgicis, *cum laude.*

Eodem die hora XI ANTHONIUS LUTTEN, ex vico Lekkerkerk, Medicinae Doctor creatus est defenso specimine anatomico-physiologico de musculorum rubore; *cum laude.*

Eodem die hora XII LUDOVICUS SUSON PETRUS MEYBOOM V. D. M. designatus in vico Hornhuisen, Theologiae Doctor creatus est, defensa commentatione Theologica de ideis et rebus in facto positis in re christiana apte conjunctis, *magna cum laude.*

Die 26 Juni hora XII MARTINUS REINDERS, Groninganus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est defenso specimine Juridico exhibente quaestiones Juris civilis hodierni. *cum laude.*

d. 27 hora XI JACOBUS DIDERICUS VAN HOEVELL, Amisfurtanus, Philosophiae Theoreticae Magister et Literarum Humaniorum Doctor creatus est, defensa disquisitione inaugurali de Xenophontis Philosophia, Parte Priore, Xenophontis de rebus Divinis et moralibus sententiam exhibente, *magna cum laude.*

Eodem die hora XII IDEM Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est, defensa Disquisitionis Inauguralis de Xenophontis Philosophia Parte Altera, Xenophontis de rebus politicis sententiam exhibente, *magna cum laude.*

Die 29 Junii hora XII CAROLUS GULIELMUS BULL, Noordhoorna-Benthemiensis, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est defensa dissertatione Juridica de conjugum juribus obligationibusque, quatenus ad ipsorum personas referuntur, *cum laude.*

d. 1 Julii hora XII GERHARDUS DIEPHUIS, ex pago Farmsum-Omlandus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est defensa disputatione Philosopho-Juridica de matrimonio, *magna cum laude.*

d. 2 Julii hora IX MAURITIUS CLANT BINDERVOET, ex pago Zuidhorn-Omlandus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est defenso specimine inaugurali continente Quaestiones Juris.

Eodem die hora XI HESSEL MOZES DUPARC, Leovardia-Frisius, Medicinae Doctor creatus est, defensa dissertatione medica de quaestione medico-forensi: quid sit infans neonatus, *magna cum laude.*

Eodem die hora XII LEVY ALI COHEN, Meppelanus, Medicinae Doctor creatus est, defenso specimine medico sistente Zoölogiae Pharmaceuticae brevem conspectum, *magna cum laude.*

Die 3 Julii hora XII JOANNES GULIELMUS FREDERICUS DE FREMERY, Tiela-Gelrus, Juris Romani et Hodierni Doctor creatus est defensa disquisitione inaugurali de vi juris publici patrii antiqui et intermedii in Legem de imperio a. 1815, *magna cum laude.*

ERRATUM.

In Annalibus Academicis MDCCCXXXVIII — MDCCCXXXIX, pag. 240, legitur: ALBERTUM GUILIELMUM WICHERS, dissertationem suam defendisse *cum laude*, lege: *magna cum laude.*

PROGRAMMA
CERTAMINIS LITERARII
A
RECTORE ET SENATU ACADEMIAE GRONINGANAE
INDICTI
DIE VIII OCTOBRIS CIↃIↃCCCXL.

Ex Edicto Regis Augustissimi Academiarum civibus atque Athenaeorum alumnis in nostra patria a singulis Ordinibus Academicis quaestiones proponuntur sequentes:

AB ORDINE IURIDICO.

Quaenam instituta ac placita in lege nostra de imperio, et quomodo, explicanda sunt ex iure publico, quod ante liberam rempublicam *obtinuit in Belgio universo, vel in diversis patriae regionibus.*

AB ORDINE MEDICO.

Exponantur effectus ligaturae applicatae cum uni arteriae Carotidi communi, tum utrique Carotidi communi, — morbique, in quibus operationes illae utiles censeri possint. Quod ligaturam attinet, utrique arteriae Carotidi communi diverso tempore applicandam, iamque prospero cum eventu in ipso homine applicatam, — haec operatio novis experimentis in animalia instituendis illustretur; ut et addantur icones, quibus collateralis, quae dicitur, post eam operationem circulatio demonstretur.

AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

1.

Quandoquidem observationes astronomicae instrumentorum ope facilius et accuratius nostra aetate fieri possunt quam antea, quaeritur, quibus dotibus

universe instrumenta astronomica recentiora praestent iis quibus usi sunt astronomi ante hos quinquaginta annos, et quomodo paullatim illam praestantiam adsecuta sint.

2.

Quaeritur expositio discriminis geologici inter alluvies fluviales et marinas, et determinatio limitum harum formationum in nostra patria.

AB ORDINE THEOLOGICO.

Quid ex Iesu et Apostolorum mente in religione Christiana sunt μυστήρια? *Quo alio sensu de his deinceps in Ecclesia fuit existimatum? Diversitatis quaenam est origo? Quodnam loci in re dogmatica pretium?*

AB ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

1.

Ratio explicetur, quam in historia conscribenda POLYBIUS *tenuit, ab ipso* πραγματικὴν *dictam; exponatur, quatenus hac ratione priores historicos superaverit, quatenus hi ipsi praeferendi sint.*

2.

Philosophorum criticorum de spatio *et* tempore *sententia accurate proponatur, et argumenta quibus eam confirmarunt diligenter exponantur.*

Responsa oratione Latina, manu alineâ, satis nitide scribenda, et ante diem 15 Augusti 1841, auctorum sumtibus, mittenda sunt ad Virum Clarissimum, qui Senatui Academico erit ab actis; observatis iis, quae leguntur Art. 210 Edicti Regii d. 2 Aug. 1815, n°. 14, et Art. 4 Edicti Regii d. 13 Oct. 1836, n° 87.

Victoribus in honestissimo hoc certamine praemia distribuentur die IX Octobris anni 1841, quo novus Rector munus suum est auspicaturus.

ATHENAEUM

FRANEQUERANUM.

NOMINA PROFESSORUM

QUI

ANNO MDCCCXXXIX — MDCCCXL,

RECTORE MAGNIFICO

SICCONE ENS,

IN ATHENAEO FRANEQUERANO

DOCUERUNT.

MEDICINAE PROFESSOR.

SICCO ENS.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

JANUS GUILIELMUS DE CRANE (propter aetatem honorifice rude donatus).
JACOBUS ADOLPHUS CAROLUS ROVERS.
THEODORUS GUILIELMUS JOHANNES JUYNBOLL.

DOCTRINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

NICOLAUS MULDER.
GUILIELMUS ADRIANUS ENSCHEDÉ.

THEOLOGIAE.

BARTHOLDUS REGNERUS DE GEER (propter infirmam valetudinem honorifice rude donatus).

GUILIELMUS MUURLING.

JURISPRUDENTIAE.

FRANCISCUS DE GREVE.

SICCONIS ENS

NARRATIO

EORUM, QUAE, IPSO RECTORE,

ATHENAEO FRISIACO

ACCIDERUNT,

PUBLICE HABITA, CUM RECTORIS MAGNIFICI

MUNERE ABIRET.

A. D. XXIV JUNII MDCCCXL.

Mihi, A. H., qualicumque Athenaei moderamine abituro, e lege ab Augustissimo Rege lata, ea enarranda sunt, quae, quamdiu Rectoris Magnifici titulo frui mihi contigit, Athenaeo nostro vel prospera acciderint vel adversa.

Cujus officii munere dum defungor, et oculos in Vos converto Amplissimi Athenaei Curatores, Unum eheu! Vestrum desidero; — Illustrissimum desidero virum JANUM ADRIANUM BARONEM VAN ZUYLEN VAN NYEVELT.

E genere, Majorum natalibus et meritis splendidissimo natus, et non unius generis studiis probe paratus, multifaria eaque luculenta acuminis ingenii et in Patriam amoris dedit specimina. — Ad munera vero publica accedens, in ea summa ope et fide incubuit, sibique adeo rerum gerendarum accuratam experientiam et multiplicem industriam comparavit, ac Regi Augustissimo ita se probavit, ut, anno hujus seculi vigesimo sexto ad finem vergente, Provinciae Frisiacae Gubernator eligeretur.

Ab eo inde tempore totum se dedicavit incolarum saluti et felicitati; atque indefessam provinciae exornandae et emendandae operam navavit, nihilominus Regis jussis et patriae legibus sedulo obtemperans. — Quod cum Rex, meritorum justissimus aestimator, non una vice et occasione animadvertisset, eum, jam ante Ordinis Leonis Belgici equitem electum, in altiorem ejusdem Ordinis gradum evexit, ac Consiliarii Regii extraordinarii honore insignivit.

Amplissimorum Athenaei nostri Curatorum collegio adscriptus, praeses fuit electus, et sic vinculo arctiore cum Athenaeo conjunctus est, et commodis ejus, quantum potuerit, consuluit et prospexit. — Quem utinam in

vivis diutius superesse tam benignum eruditionis fautorem sivisset Creator! plurima profecto eaque magna bona ex tanti viri benevolentia et auctoritate in nostri Athenaei utilitatem atque incrementa fuissent profecta: — sed aliud fuit rerum omnium Moderatoris sapientissimi consilium! — Per tres enim fere annos, iteratis levioribus Apoplexiae paroxismis laborans, iterum iterumque autem, excepta hemiplegiae specie, reconvalescens, tandem die vigesimo nono mensis Martii hujus anni repentina morte diem obiit supremum, annos tres et sexaginta natus, viduam relinquens moestam, moestos relinquens liberos.

Quam tristis mihi fuit hujus, quam passi sumus, jacturae commemoratio, tam gratum mihi accidit, ut Vos, viri nobilissimi VAN WELDEREN RENGERS et SPEELMAN WOBMA salvos hic adspicere, mihi contingat. — Ut vestra auctoritate, vestra prudentia Athenaeo nostro diu praesitis ex animo precor.

Inter clades praeterea, quas nuper iterum iterumque passa est Societas, quas passae sunt litterae disciplinaeque, pietas me monet, ut commemorem obitum Viri Nobilissimi, Clarissimi, BARTHOLDI REGNERI BARONIS DE GEER, quem per duodecim fere annos in nostro Athenaeo habuimus collegam humanissimum, — quem Alumni, imprimis vero ii, qui studiis Theologicis addiscendis toto incumbebant pectore, habuerunt praeceptorem dignissimum, liberalissimum, Amicum familiarem, quique vitae simplicitate multorum animos sibi conciliavit.

Verum enim vero in ultimo Muneris sui biennio insanabili, ut videbatur, visus debilitate laborans, anno hujus seculi trigesimo septimo, ab Augustissimo Rege petiit ut rude donaretur; qua honorifice ei concessa, otio fruitus est docto, ruri plerumque vitam agens.

Sensim sensimque autem autem debilitans, et morbo chronico, e cachexia forsan universali orto, laborans, die I^mo Maji hujus anni, aetatis suae anno quadragesimo nono nondum absoluto, prope Ultrajectum, in pago *Jutphaas* dicto, e vita emigravit, coelebs, non exiguam doctrinae famam, quam sibi, conscriptis varii argumenti operibus momentosissimis, comparavit relinquens.

Si vero oculos converto ad Vos Collegae conjunctissimi! laetus profecto me perfundit animi sensus, cum omnes in hunc usque diem salvos esse video. Quamvis itaque vos hic adspicere et salutare non sine summa animi voluptate mihi contingat; — uni tamen e collegis, alio migranti, valedicere dira nobis injungit necessitas.

Clarissimus scilicet MUURLING, Theologiae in Academia Groningana Professor creatus, a nobis discessurus est. — Qui discessus sane luctuosus et huic bonarum artium litterarumque sedi haud minus calamitosus est. — Varia enim et eleganti eruditione floret MUURLING, — per biennum fere de studiosa juventute praeclare meruit, — Sacris orationibus recitatis, omnes, quotquot Religionem amant, sibi maxime devinxit, — collegis denique suis perquam fuit gratus, propter animi candorem et mentis benevolentiam.

Nos autem te Vir Clarissime! quem hic adhuc adspicere laetamur, optimis prosequimur votis, teque ut Deus, in nova tua sede, omnibus cumulet benevolentiae signis, vehementer optamus.

Cathedra autem a MUURLING relicta, vix ac ne vix quidem fuit vacua: — quo minus enim hujus viri discessus noceret Athenaeo, Regi Augistissimo mox placuit in Ejus locum evocare virum doctissimum JOANNEM HENRICUM SCHOLTEN, Litterarum Humaniorum et Theologiae Doctorem, sacri codicis interpretem in pago MEERKERK dicto; cui consecutum honorem, acceptam Provinciam ex animo gratulor.

Enarranti mihi ea, quae Athenaeo evenerunt, minime praetereundum esse censeo venerandum nostrum senem, virum Clarissimum DE CRANE; — inito enim non diu meo magistratu, vidimus Eum, quinquagesimum annorum celebrantem, quos primo Academiae Franequeranae, dein vero Athenaei nostri saluti totum se dedicavit; gratulati sumus Ei ea occasione, ac hilares experti sumus suam humanitatem et liberalitatem. — Meministis A. A. caeterorum illius diei solemnium, — meministis, quomodo varii ordinis dignitatisque viri, — quomodo praestantissimi Athenaei Alumni debita virium intentione ea adhibuerint et contulerint, quae inservire possent ad dignissimum senem honorandum.

Caeterum quam maxime laetamur, senem venerabilem in vivis jam num superesse ac, pro annorum numero, debita frui sanitate. — Gratulamur Illi

praeterea ex animo, quod die undecimo mensis Aprilis hujus anni, octogesimum secundum aetatis suae annum compleverit. — Felix sit Illi, quae supersit vita!

Quod vero ad Athenaei attinet Alumnos. — Numerus eorum me Rectore non est auctus. — Quum vero non ex studiosorum frequentia Athenaei gloriam aestimandam esse censeo, verum potius ex eorum morum probitate et studiorum diligentia, non possum, quin laudem omnium vitae genus et morum cultum, — laudem plerorumque in studiis diligentiam. Pergite. Juvenes praestantissimi! eam, quam instituistis persequi viam, et cogitate, nihil parentibus vestris, nihil tutoribus, nihil praeceptoribus esse jucundius et optabilius, quam ut, spatiis studiorum percursis, scientiis honori, Patriae decori futuri sitis.

Athenaei suppellectilia, et studiorum adminicula integra servantur, et quotannis pro aeris impendendi tenuitate amplificantur.

Verum non possum non commemorare Bibliothecam nostram iterum locupletatam esse non paucis praestantissimis, in omni doctrinarum genere, operibus, tam annuis subsidiis comparatis, quam non unius generis donis splendidissimis, Auguslissimi Regis munificentia largitis; — pro quibus benevolentiae signis gratum Optimo Regi testificamur animum.

Id unum nunc superest ut, quem Amplissimi Curatores designarunt, ego in biennium proximum renunciem Rectorem Magnificum NICOLAUM MULDER, *Matheseos magistrum*, *Philosophiae et Medicinae doctorem*, *Botanices*, *Chemiae et Artis Pharmaceuticae professorem ordinarium*, munusque meum in successorem conferam. — Quod ut fiat, huc adscendas vir Clarissime! Ave Tibi dico Rector Magnifice! — accipe hujus tituli insignia, — Sceptra, — Album.

Biennium sit Tibi felix, fortunatum, utque Athenaeum, Te Rectore, ampliora usque capiat celebritatis incrementa jubeat DEUS OPTIMUS MAXIMUS!

D I X I.

O R A T I O

DE

VITANDO IN JESU CHRISTI HISTORIA INTERPRETANDA DOCETISMO, NOBILI, AD REM CHISTIANAM PROMOVENDAM, HODIERNAE THEOLOGIAE MUNERE,

QUAM HABUIT

JOANNES HENRICUS SCHOLTEN,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET THEOL. DOCT.

D. XVII SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXL,

CUM

IN ATHENAEO FRANEQERANO THEOLOGIAE PROFESSIONEM

SOLENNI RITU AUSPICARETUR.

ACCEDUNT

ANNOTATIONES HISTORICAE ET EXEGETICAE, QUIBUS ARGUMENTUM ILLUSTRATUR ATQUE VINDICATUR.

Et sane, si id omnium animis insideret, porrigi nobis fraternam manum à filio Dei, et naturae societate nobis conjunctum, ut nos ex hac nostrâ tam abjectâ conditione in coelum usque attollat, quis non rectam hanc viam tenere mallet, quam in deviis salebris vagari?

CALVINUS.

ATHENAEI FRANEQUERANI CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!

HUJUS ATHENAEI RECTOR MAGNIFICE!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

QUI HAC IN PROVINCIA VEL URBE REIPUBLICAE ADMINISTRANDAE ET JURI DICUNDO PRAEESTIS, VIRI GRAVISSIMI!

SACRORUM ANTISTITES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET DOCTRINARUM DOCTORES, VIRI ERUDITISSIMI, CONSULTISSIMI, PERITISSIMI!

CUJUSCUNQUE DOCTRINAE STUDIOSI, HUJUS ATHENAEI ALUMNI, JUVENES LECTISSIMI!

QUOTQUOT AD SOLENNIA HAEC CELEBRANDA CONVENISTIS, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Habemus sane, quod nostrae, quam vivimus, aetati, cum alias ob causas, tum maxime, si Theologiam spectamus, gratulemur. Est nostri aevi gloriari, suum eumque insignem, in disciplinarum orbe, locum, si minus, ut ante, publicâ auctoritate claram, sed quod pluris habendum, suis se ipsam viribus tuentem occupare et jure suo sibi vindicare Theologiam. Sublatum est divortium, quod fere Theologiam ceterasque disciplinas, patrum adhuc memoriâ intercessit. Transiit tempus, quo aliae Theologo, aliae quarumvis aliarum disciplinarum cultoribus cogitandi praescriptae esse leges videbantur. Nec sane est, cur, ne a viris literatis parvi aestimetur disciplina nostra vereamur, (id, quod de summo RUHNKENIO a WYTTENBACHIO memoriae est proditum) ex quo horum, in literis et philosophiâ, nostrâ aetate et laudum et meritorum heres, Theologiam *magnorum* instar *mysteriorum* habendam esse palam declaravit, quibus per literas et philosophiam antiquam vere quis demum initiari possit. Quod disciplinae nostrae taedium nolite A. A. tam RUHNKENIO, quam Theologiae, ipsius aetate, conditioni imputare. Nos potius felicitatem nostram praedicemus, quibus meliora vivere tempora concessum est. Dispulsa est scilicet, qua obscurari coeperat, non ita multo post Reformationis aevum, Theologia, frigentis cujusdam Orthodoxismi, verae Orthodoxiae oppositi, caligo. Collabitur in dies, qui hunc excepit, Rationalismus, suo, post multos egregios labores, in Theologiâ jam prope munere defunctus; et vero, quod laetamur, nova ecce A. A. et in Germaniâ et vero etiam in patriâ nostrâ, Theologiae periodus illuxit, ut novo veluti splendeat colore omnis fere disciplinarum Theologicarum orbis, singulasque excelsior quidam imo divinior intus alere spiritus unicuique, a partium studio vel mediocriter immuni, jure videatur. Nam sive in *Exegesin* oculos convertimus, est actum

A. A. de philosophici systematis cujuslibet, sive ab ANSELMO, sive CARTESIO, seu KANTIO, seu denique a *sensu*, qui dicitur, *communi* nomen habeat, auctoritate in interpretatione moderandâ, ut hodie sint, qui se a PAULO aliove scriptore sacro dissentire profiteri malint, quam suam Apostolo sententiam obtrudere. Sive spectamus *Hermeneuticam*, est haec, quam nobis dictat, regia lex, totum esse Codicem Sacrum, non unius instar, ut antea a multis fieri solebat, habendum esse libri, sed bene esse in singulorum auctorum privam propriamque mentem inquirendum; PAULUM non esse e JOANNE, nec hunc vicissim e PETRO aut JACOBO, sed unumquemque ex se ipso auctorem esse interpretandum, ut singulorum discrimine animadverso, unitas sic aliquando prodeat, si minus formae, at mentis et consilii, prouti germanos ejusdem magistri deceat discipulos. De *Criticâ* si quaerimus, est sane, quod praeclarae artis miseros nostro tempore abusus deploremus, at et ab alterâ parte eo magis multorum sunt laudandi, in fontibus, praesertim Euangelicae historiae, et explorandis accuratius, et rite vindicandis, nobilissimi conatus, quibus et impudentissimis critices cujusdam destruentis postulatis satisfieri in multis, gloriamur. Quodsi a disciplinis Exegesin moderantibus ad disciplinas in Theologiâ historicas pergamus, quanti fuerunt, nostrâ aetate, *Ecclesiasticae Historiae* progressus! Quam liberalior et apud nos e disciplinâ Heusdiana profecta est historiae tractandae ratio, ut temporum et gentium accuratâ habitâ ratione, coeca illa desierint in Protestantium regnare Theologiâ, omnium, quaecunque Ecclesia Pontificia protulerat, abominatio et odium. Suus etiam medio aevo ejusque studiis stat honos, et vero, quod pii proavi suspicaturi non fuissent, jubilaeo, quod nuper celebravit Ecclesia Romana, Reformatorum quoque aedes, cum alibi, tum hac ipsâ in urbe, BONIFACII, Germanorum Apostoli et WILLEBRORDI laudibus et famâ resonarunt. Nec minus, A. A. quo se commendet hodieque habet *dogmatum historia*. Nam quae per Rationalismum Orthodoxae Ecclesiae dogmata, ineptiarum instar et habita et explosa fuerant, haec fere, interior disquisitio, per formam externam, utut rudem, veritatis vestigia agnoscens, justo pretio habere coepit. Praeterierunt tempora, quibus nihil fere quidquam in dogmatum solebat historiâ laudari, nisi quod ab haereticis, communis scilicet aevi sensus nullo non tempore patronis, fuerat profectum. Quid? quod Ecclesiae Orthodoxae, ut veritatis Christianae, per saeculorum decursum

receptaculo, suus coepit, ut nunquam magis, isque debitus stare honos. Haec omnia si reputamus, quid mirum A. A., ipsi pariter *dogmaticae* commutationem parari, progressibus in ceteris disciplinis consentaneam, ut desinamus aliquando, ut hodie jam fit, gravissima religionis capita, scholastico ante Orthodoxismo obscurata, a Rationalismo deinde misere truncata, vel leviter, persuasionis inopiâ, attingere, vel ne Ecclesiae turbemus, quietem dicam, an potius soporem? sacro silentio transire. Scilicet A. A., quod magis magisque veri nominis dogmatici videntur intelligere, germana haec demum est dogmatica dicenda, quae *in ipsâ J. C. personâ et historiâ* fundamentum habeat firmissimum. Hinc, veluti ex quodam sancto augustoque fonte et PAULI et JOANNIS ceterorumque Apostolorum doctrina prodiit, hoc, si quid aliud, est fundamentum, quo uno veram dogmaticam superstruant, quicunque principem disciplinarum, et ad majorem sanctissimae religionis aestimationem, et vero ad verissimam humani generis salutem cupiant excolere. Nec est A. A, quod equidem in hujus instituti utilitate praedicandâ multus sim. Verbo ut dicam, sic demum *Theologia moralis*, cum dogmaticâ, post longam a CALIXTI inde aetate, separationem, poterit in concordiam redire, ex uno quippe Christo, verissimae dogmatices fonte, succum et sanguinem ductura. Nec vero minus haec demum via est, qua veram philosophiam, et vero *Theologiam*, quae dici solet, *naturalem* cum Christianâ amice conspirare, tantum non omnium suffragiis constabit; cum videat illa, nihil habere se aut cogitari posse tam praeclarum, tam sublime, quin in personâ Jesu, utpote exemplari perfectissimo, appareant conjuncta; haec sibi comitem adjungat philosophiam, quo magis religionis sublimitas et pateat, et vero interius percipiatur. Quae cum ita sint, quidni laetemur A. A, tantam a nobilissimis aetatis nostrae Theologis in exponendâ vitâ Jesu ejusque personâ adumbrandâ, collocari operam, ut eorum scripta, tametsi a saeculi, quod vivimus, contagione non omni ex parte libera, nobis tamen spem faciant, fore ut religionis Christianae et veritas et decus ab omni cujusvis adversarii dubitatione vindicetur. Sed haec, ut bene aliquando cedant, unus prae ceteris est evitandus scopulus, in quem haud pauci, magno cum bonae causae detrimento, naufragium fecerunt. Quis vero ille, si quaeritis, erunt fortasse, qui me aut naturalem Jesu historiae aut mythicam interpretationem significare existiment. Sed A. A. de naturali interpretatione, quid est quod

hodie dicamus? Jacet illa, imo stultitiâ ipsa suâ corruit. De Mythicâ vero, multos etiamsi ea nacta fuerit patronos, non item est, quod simus magnopere solliciti, ex quo per STRAUSSII famosum opus apparuit demum, quo usque dementiae Theologum abducat, et postquam ipse, veritatis se efficacitate vinci in multis passus est. At aliud est A. A., quod nescio, an sit utroque illo, quem diximus, errore longe perniciosius et religionis efficacitati magis noxium. Quod ubi contendimus, *Docetismum* dicimus, qui impugnatus ab Apostolis, condemnatus ab Ecclesiâ antiquâ, rejectus item in libris Reformatae Ecclesiae symbolicis, vel sic in ipso Ecclesiae Orthodoxae sinu tacite per omnem Theologiam proserpsit, Jesu personam obfuscavit et religionis tantum non nervos incidisse jure est exstimandus. Ab istiusmodi autem cavere errore, ejusque vim in vitae Jesu interpretatione strenue infringere, quidni Theologiae nostrâ aetate propositum et munus habeatur omnium gravissimum? Namque a Jesu personâ et historiâ bene cognitis si omne pendeat dogmatices momentum, atque omnis religionis Christianae vis et auctoritas, quidni praeclarum munus Theologi dicatur, arcere, quodcunque rectam interpretationem sanctissimae historiae impediat? Quocirca hanc mihi date A. A., veniam, ut dicam *de vitando, in J. C. historiâ interpretandâ, Docetismo, praeclaro, ad rem Christianam promovendam, hodiernae Theologiae munere.*

Ut autem in omni disputatione, rite constare debet de rei, de qua judicium feramus, notione; nos quoque, qualis sit ille, quem diximus, Docetismi error, paucis moneamus. Scilicet, ut novistis, secundo post Christum saeculo, exstiterunt, qui Jesum corpore indutum fuisse vere humano negarent, ejusque apparitionem angelophaniae instar cujusdam sibi fingerent, nullâ naturae ejus humanae habitâ ratione. Dicti hi fere sunt *Docetae*, eorumque error *Docetismi* nomine occurrit in dogmatum historiâ, propterea quod Jesum, non *vere* sed *specie* tantum, ἐν δοκήσει, fuisse humanae naturae participem contenderent. Hinc universe *Docetismi* nomen traxit in hodiernâ Theologiâ *omnis error, quacunque tandem formâ, quove nomine prodiens, quo Jesu Christi natura vere humana vel tollatur plane, vel ita proponatur, ut ejusdem umbra tantum vanaque species supersit.* Nam cum Docetis, proprie sic dictis, ne ipsum emortuum fuisse Docetismum putetis A. A.! Variis quippe formis, variis item nominibus eundem errorem caput extulisse identidem

apparet, invitâ quamvis, imo reluctante cunctis viribus Ecclesiâ Catholicâ. Nimirum ita se res habet, ut teste historiâ, quintuplici formâ Docetismus in Ecclesiâ viguisse existimandus sit. Quo enim alio nomine dicamus *Gnosticos* et vero NESTORII errores, quorum utrique humanam Jesu naturam instrumenti cujusdam instar sibi fingerent, per quod, secundum illos, aeon aliquis vel vis divina, secundum hos ipse operatus fuisset Deus. Hoc modo scilicet humana quaedam non potuit non existere natura, quae *specie externâ* sublimis et excelsa, reapse bona mutuata ostentasse existimanda esset. Nec dubitaverim et de ARIO et *Monophysitis* idem affirmare, quorum ille creaturam homine majorem at procreatam, hi naturarum in Christo mixturâ ipsam Divinam naturam pro animo humano substituentes, humanam Christi naturam, (quippe, si animus tollatur, nullam), verbo reliquisse, re sustulisse merito dicantur. Quo magis est Ecclesiae diligentia laudanda, quae post longum certamen, in concilio Chalcedonensi, non tantum divinam Christi naturam omni dubio majorem constituerit, at vero etiam humanam, ab omni Docetismi contagione vindicaverit. Quod vero Ecclesia damnaverat, nolite putare A. A.! eam damnando potuisse radicitus evellere. Fuerint adeo in Ecclesiâ per saeculorum decursum et *Gnosticorum* et vero ARII et *Nestorianorum* odiosa nomina, at ipse Gnosticismus, Arianismus, Nestorianorum adeo et Monophysitarum Docetismus ad hunc usque diem, clam per Ecclesiam et Theologiam proserpunt. Quis nescit, ut hoc utar, quam soleat Euangelica narratio de Spiritu Sancto, baptismi opportunitate, in Jesum descendente, hodieque accipi a multis, nullâ omnino humanae naturae in Christo neque ἐνεργείας, neque progressionis habitâ ratione, quasi divina dona, ipse adeo Spiritus Divinus Jesu extrinsecus hac opportunitate sit infusus? Quis nescit, et esse hodieque, qui Christi in cruce querimoniam interpretentur, ac si reapse a Patre fuerit relictus? Ecquid hoc aliud dicendum, quam *Gnosticorum*, divinum quid, ut novimus, Jesu personae baptismi opportunitate se junxisse, ex cruce pendentem reliquisse, nugantium errores renovare? Similiter Arianismi, quis est, quin et in hodiernâ Theologiâ hîc illic vestigia agnoscat, ut fuerint, nostrâ quoque aetate, qui loco animi humani, nescio quam, Arianorum modo, creaturam substituendam esse duxerint. De *Nestorianismo* si quaerimus, quid crebrius accidere nobis solet, quam ut Theologos de Jesu personâ hunc in modum disserentes audiamus, ac si, qui Nestorianorum error

fuit, arbitrariâ ratione possit, modo spectari unius divinae, modo solius humanae naturae habitâ ratione, ruptâ, quam constituerat Ecclesia, personae unitate. Nec minus a nonnullis repeti, nostrâ aetate, solet *Monophysitarum* error, Deo adscribens, quod mere sit humanum. Quod sit in eos dictum, qui in praesepi Bethlehemitico ipsum recubuisse Jehovam, asseverent. Accesserit mox et hoc, quod consequens habendum, Jehovam ex cruce pependisse, ne forte in oblivionem Patripassianorum et Theopaschitarum nomen abeat. Quid? quod ne corpus quidem Domini ab omni possit Docetismi contagione liberum haberi, ut sint, qui Christum e sepulcro redivivum aethereo corpore obambulasse, *ἐν δοκήσει* adeo edisse eum et bibisse fingant. Tam variâ formâ hodieque grassatur Docetismus. Quo magis sane laudandi hodiernae Theologiae conatus, ut, quod Ecclesia spectavit, efficere vero non potuit, omnibus adhibitis disciplinae Theologicae et vi et copiis, a Docetismi labe Jesu historiam expurget. Hoc enim, si quid aliud, ad Jesu Christi personam *melius intelligendam*, *et rite aestimandam* valebit, et vero, quod Euangelii propositum, *ad ejus nos similitudinem formandos.* Quae si demonstraverimus, perspicuum vobis A. A., fore speramus, quo jure pellendi Docetismi studium, si quid aliud, facere *ad rem Christianam promovendam*, asseveraverimus.

Fuit sane haec constans et firmissima virorum sanctorum, imo totius Ecclesiae Christianae persuasio, quam item nobis haud facile eripi, quacunque tandem ratione, patiamur, Jesum Christum, ut erat, ita et esse habendum *naturae Divinae socium.* Quod vero in hisce bene est tenendnm, haec, cujus fuisse Jesum dicimus participem, divinitas, non tam *per se* sive, quod dici solet, *in abstracto* est consideranda; verum ita, prouti in *Jesu homine* apparuit, et vero per humanae naturae terminos, humanâ formâ manifestari potuit. Erat hoc ipsum, quod PAULUS Apostolus *στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας* appellavit, non quandam de Deo, sive naturâ divinâ abstrusam disquisitionem, verum hoc: *Φανερωθῆναι ἐν σαρκὶ θεὸν*, *Deum in homine* J. C. *naturae suae praestantiam et perfectionem conspicuam hominibus dedisse.* Quid? quod in ipso Euangelii palmarii exordio, hoc veluti totius Christi historiae legatur symbolum: *ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο.* Unde intelligitur, quam temere egerint et agant, quicunque de Christi divinitate disquisitiones, qualescunque tandem, instituant, nec in ipsius divinitatis contemplatione

τῆς σάρκος, *humanae naturae* habeant rationem. In Christo scilicet humana natura perfectum Divinitatis exstitit exemplar, divinae naturae praestantia perfectâ humanitatis imagine apparuit. In quibus, quis est, quin Dei sapientiam miretur, qui, cum ipse conspici a nobis nequeat, et humanâ tantum ratione a nobis cogitari, *in homine* naturae suae perfectionem conspiciendam dederit, nobis vero simul perfectâ voluerit humanitatis imagine monstrare, quo modo ipsi, et debeamus, et possimus ad divinae naturae similitudinem escendere. Quod autem bene animadvertamus, intelligitur hinc sponte, quam nihil haec singularis impediat Jesu cum divinâ naturâ conjunctio, quominus eum nobis tanquam nostrum vindicemus, ut hac potissimum conjunctione nostri generis nobilitatem illustri quodam specimime Deus declarare voluisse sit existimandus. Quo sane laetius acquiescimus effato apostolico Christum πρωτοτοκόν, at vero ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς πρωτοτοκόν vocanti, quippe qui, unum peccatum si excipias, *in omnibus* se nobis similem probaverit, nec ipse sibi honorificentius cognoverit nomen, quam υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. Quo sane minus committendum A. A., ut nobis eripi hunc fratrem per Docetismi artes patiamur. Hoc quippe a Jesu historiâ remoto, futurum demum est, ut, quod expossituros nos esse primum diximus, *Jesu personam*, prouti in scriptis Euangelistarum adumbratur, *bene possimus intelligere.*

I. Constat inter omnes, hoc esse summum religionis Christianae et munus et propositum, ad perfectionem moralem, imo ad Dei similitudinem hominem educere. Quo ut perveniamus aliquando, Jesus Christus perfectum nobis humanitatis exstitit exemplum, cujus ad similitudinem et ipsi mores nostros, omnemque sentiendi agendique rationem componamus. Hoc autem quomodo fieri tandem poterit, ni illum, ad cujus te ipse imaginem informaturus sis, rite cognoveris ante atque intellexeris? Imitationi admiratio et amor, his praecedat cognitio necesse est. Unde patet, quanti intersit nostra, Jesu personam bene intelligere, ne parum illâ intellectâ, vel in superstitionem ac mysticismum delabamur, vel, quod deterius, *indifferentismi* labem contrahamus. Jam vero vide, quaeso, quam parum Jesu intelligatur historia ab illis, qui Docetismi se infici labe patiantur. In Euangelistarum scriptis Jesus, utut divinâ praestantiâ excellens, *homo* proponitur, verâ nominis significatione, is adeo, qui nihil humani, peccatum, quippe inhumanum

et homine indignum, si excipias, a se putaret alienum. Hoc ipsum vero cum ferre naturâ suâ Docetismus nequeat, utpote Christo quodam sibi placens metaphysico, vide, quam inde natae fuerint contortae interpretationes, imo quale inde Christi prodierit phantasma. Puer duodecim annorum discendi causâ Judaeos in templo interrogat magistros. Addit Euangelista, quasi veritus, qui mox secuti sunt, errores, *Jesum, et viribus atque sapientiâ crevisse*, et vero *majore indies floruisse et apud Deum favore et aequales;* at Docetismus, vel minimam exosus humanae naturae in Christo progressionem, puerum in magistrorum cathedram evexit, et de gravissimis rebus disserentem et docentem finxit: vel, *Arianorum* modo, aut *monophysiticâ* ratione naturis temere permixtis, grandibus verbis Dei mirari benignitatem solet, qui, omnium tametsi rerum gnarus, vel sic, ut nobis docilitatis exemplum exhiberet, discentis pueri et interrogantis partes agere voluerit. Quo, quaeso, quid absurdius, quid inhumanius magisque narrationis simplicitati contrarium fingi potest? Aliud nobis exemplum dolores Jesu in villâ Gethsemaniticâ suppeditent, ut, quantum Docetismus rectam Jesu impediat historiae intelligentiam, appareat. *Hominem* Jesum nobis simplex narratio proponit, prae naturali doloris atque mortis horrore instans atrocissimi fati periculum, si modo fieri posset, deprecantem, nihil in hisce nobis offerens, quod sit humanâ naturâ, utut excellenti, indignum existimandum. Sed vide iterum, quid agat Docetismus, utque pro more suo historiam, sublimem sane, at intellectu non adeo difficilem contorserit, ut prorsus intelligi non possit. Scilicet veram in Christo humanitatem aversatus, vel *Gnosticorum* modo, Jesum a suâ divinitate relictum fuisse statuit, quin ipsas adeo damnatorum expertum esse poenas, vel *Nestorianorum* instar, *unam humanam* naturam attendere nos jubet, perinde ac si non in mediis angoribus, imo et inter ipsam mortis deprecationem *originis coelestis* imo *divinitatis* undique quasi radii pelluxerint. Vel nisi hoc modo res cedere ipsi videatur, leve profecto est negotium, quibusdam a priori, quae dici solent, ratiocinationibus, atque contortâ verborum interpretatione, ποτήριον illud, quod Christus deprecatur, de quovis alio potius angore obscurae originis et mystico interpretari, quam sanae Grammaticae et psychologiae germanae postulatis morem gerere. Sed porro videamus. Docetismus, quamdiu vim

in interpretatione vitae Jesu exserat, fierine possit, quin nobis inanis instar spectaculi appareant quaecunque a Jesu preces ad patrem mittuntur? Preces adeo fuderit, sed specie tantum, ut proprie precatus non sit. Preces miserit ad patrem; sed non ut ipse sibi, quae precum est vis, per intimum cum patre commercium dulcissimum animi solatium et corroborationem quaereret; hoc ferre scilicet Doceta nequit; sed vero, ut nobis, suo exemplo dicam, an simulatione? precandi officium proponeret. Quod autem meministis A. A. a sacro scriptore affirmari, Jesum, ut nobis esse salutis auctor posset, et ipsum patiendo debuisse τελειωθῆναι, sive, prouti postea dicitur, *ex omnibus*, quae passus est, et ipsum non probasse tantum sed *didicisse* obedientiam; quomodocunque tandem *poterit* intelligi, quamdiu Jesu historiae interpres, praeceptâ Docetismi opinione imbutus, credere non audeat, quod legat ante oculos, imo sacrilegii instar habeat contendere, et ipsi Jesu, eas, quas pertulit perpessiones fuisse ad ejus animum formandum ejusque virtutem corroborandam, divinâ curâ moderante, necessarias? Qui poterit intelligi, Jesum in serie virorum sanctorum, qui ab eodem scriptore fidei in Deo repositae exempla citantur, ἀρχηγὸν et τελειώτην τῆς πίστεως, ducem ac fidei exemplar prodire perfectissimum, quod intuentes ad hujus similitudinem et ipsi rem fortiter geramus, si, quod Docetis placet, Jesu non possit, eodem sensu, quo nobis, fides Deo habenda tribui? Quid plura? Docetismo faveat Jesu historiae interpres, at mihi explicet Jesu in evitandis periculis prudentiam, explicet, quod in Apostolorum numerum et Judas fuerit receptus, explicet mihi, Jesum, ut vires recrearet in itinere, ficum adire, num fructus ferret exploraturus scilicet, nec tamen reperisse. Explicet denique, quomodo sit intelligendum, Jesum iter facturum in occulto, contra quam constituerat atque speraverat, latere non potuisse, nisi ut in ceteris, quibus se hominem probavit, sic ejus quoque scientiam, utut nonnunquam ad cognitionis divinae praestantiam escenderit, vel sic humanae naturae terminis circumscriptam fuisse patiaris. Quid? quod ab alterâ parte in Christo nihil est, tam aut excelsum aut sublime, *unum praeexistentiae ejus mysterium* si excipias, quin nobis quoque, quotquot per fidem ipsi juncti simus, hac ipsâ conjunctione et tribui possit et vero in sacris literis disertis verbis tribuatur? Quod quaeso, quis intelligat, nisi a Docetismi contagione liber, in summo pariter,

quo Christus fuit, magnitudinis fastigio, atque in minimis ejus vitae quotidianae rebus, praeeunte viro Apostolico, *humanae naturae* nobilitatem et praestantiam agnoscat? Satis dictum, ni fallor A. A., ut nobis persuadeatur, Jesu historiam, nisi ab interprete, a Docetismi praejudicatâ opinione, libero, intelligi non posse.

II. Valeat igitur Docetismi lapsus ad meliorem Christi personae et historiae intelligentiam, mirum et quantum ejus personae *existimationem* sit aucturus. Quod sponte in oculos incurret, ubi ab alterâ parte de ejus, quem divinitatis exemplar reveremur, et verâ humanâ naturâ nobis constiterit, ab alterâ parte, a Nestorianorum Docetismo liberi, quodcunque in Christo praestans et sublime est, ipsam adeo divinitatem haud *alieni* instar considerare boni atque *extrinsecus* allati, sed tanquam *suum* ipsi vindicare didicerimus. Quae Docetismi forma, quis nescit, quam longe lateque per totam Ecclesiam proserpserit? Quis nescit, quam soleant etiamnunc formulae, quales: *nil quidquam filium posse* ἀφ' ἑαυτοῦ *peragere, ejusque non suam esse, sed illius, qui ipsum miserit doctrinam*, vel *loqui illum*, *prout edoctus fuerat a patre, et quae a patre audiverat*, — quam soleant, inquam, istiusmodi formulae a multis explicari, quasi Jesus nil quidquam sibi, aut parum certe, debuisse sit existimandus. Perinde A. A.! ac si, quaecunque se patri debere fatetur, haec non et ipse habeat ἐν ἑαυτῷ: et quasi ille idem, qui omnia ad patris referens honorem, τὰ πάντα ἐμὰ ἐστι σά (1) pronuntiaverat, haud simili jure affirmare potuerit et vero affirmaverit: τά σὰ ἐστιν ἐμά. Quodcunque in Christo admiramur, id *suum* fuisse, jure dicimus. Nil habuit extrinsecus allatum, cujus non item fontem haberet in se ipso. Veritatem adeo coelestem non velut alienum quid extrinsecus accepit, sed ipse veritatis fontem in semet ipso reclusum intrinsecus habuit, quin veritatem ipsam se esse merito professus est. Illud autem rite attendisse, quam faciat ad Jesu augendam admirationem, quis est qui non videat? Sic demum ejus doctrina de Deo: de virtute, de vitâ immortali a nullo ante mortalium aequiparata nobis immaculati instar apparet excellentissimi ingenii foetus, hanc ipsam ob causam plenissimâ vocis significatione *divina*, quod fuerat ex animo profecta,

(1) Jo. XVII: 10.

qui intimâ eâque non interruptâ cum patre communione viveret, ἓν adeo sese καὶ τὸν πατέρα esse merito profiteretur. Quibus ne quis opponat, sic omnem doctrinae Christianae praestantiam e Christi ipsius, qui dici solet, *subjectivo* sensu repeti, veritus scilicet, ne *objectiva* sic pereat doctrinae Christianae veritas. Esto A. A. referat ipsius Christi subjectivitatem doctrina Christiana, at tantum abest, ut sic de objectivâ ejus perfectione quidquam detrahatur, ut contra, quodcunque in Christo, quippe perfecto, subjectivum fuerit, id objectivi esse nobis saeculisque futuris pretii existimandum sit. Hoc vero intuentes A. A. tantamque rerum et divinarum et humanarum scientiam in generis nostri socio mirantes, nonne personam Christi, ut nullam magis, aestimabimus, ut illi profitentes: *sane! ut ille homo nullus umquam mortalium locutus est?* Quod autem diximus de doctrinâ Jesu, idem valet de mirâ ingenii sublimitate, qua uno velut oculi obtutu vel remotissimorum saeculorum dimetiretur cursum. Miremini illud A. A., in grano sinapi jam arborem conspicere; miremini virum, qui in ipso aetatis flore, inimicorum, ut videbatur, odio succumbens, vix inchoato quod meditabatur opere, vel sic in mediâ crucis ignominiâ, causae quam egisset perennitatem et triumphum amicis coram et adversariis annuntiet; at videte simul in hisce, quousque praestantiae et magnitudinis humanum ingenium escenderit. In quibus ni celebremus humani in J. C. ingenii ad perfectam veritatis agnitionem a teneris inde expliciti praestantiam, τὴν ἐντέχνον σοφίαν, ut Graeci loquuntur, ut, aut Gnosticorum modo, baptismi opportunitate haec Jesu infusa coelitus fuisse dicamus, aut, Nestorianorum partibus faventes, quodcunque Jesus praestitit, machinae eum instar extrinsecus accepisse statuamus, quid est, quod mutuatam illam scientiam magnopere miremur? Ecquis mortalium non idem praestare se posse facile credet, modo ipsi quoque tantam extrinsecus accipere scientiam contigerit? Sed vero in hisce hominem, non specie, sed vero nominis hominem spectantes, humanaeque observantes naturae, internâ unitate Divinitati junctae, et ἐνεργείαν et praestantiam, tum sane Jesu persona sacro enthusiasmo nos afficit, tum fit, ut fratrem intuentes, Thomae instar, alterum intueri nobis Deum videamur! Nec minus A. A. idem sit dictum, ne plura proferamus, de Jesu *sanctitate* et *amore*. Quae tandem illa, quae undique in sacris libris laudari solet intacta Jesu sanctitas, nisi et

ipse *potuerit* peccare? Quod si negemus, ut Docetis placet, ecquid quaeso illud πεπειρασμένον εἶναι κατὰ πάντα, ecquid haec omnis, ut hoc utar, historia de Jesu in desertis commorante, nisi spectaculum inane, quo nobis scilicet, veluti in tabulâ pictâ, ostendatur virtutis de rerum externarum illecebris triumphus; sed nullo is ante certamine nobilitatus? Jesu amorem erga homines si denique quaerimus, vide, quantum et hic suâ sublimitate atque praestantiâ orbetur, si, quod est Nestorianismo antiquo et hodierno proprium, Christus, nonnisi *externo* eum Divinitate vinculo junctus, majore cum praemiorum spe, minora, quam martyrum quisque optimus pertulisse videatur, vel ubi, Monophysitarum instar, *illius* in tolerando patientia laudetur, qui, utpote Deus, suâpte naturâ pati nequeat. At vero A. A., ubi in Jesu erga nos amore *fratris* amorem contuemur, reputamusque, eum, qui primus et omnium solus totius servandi generis humani consilium mente conceperit, nec, quominus exsequeretur, ullis, neque difficultatibus, neque periculis, nec impetu hostili, nec morte ignominiosâ se deterreri passus fuerit, quin pro parricidis precari, ad mortem usque, inter dirissimos doleres, vitae felicitatem habuerit, hunc inquam, si reputamus *hominem* fuisse, naturae divinae socium, at hominem tamen, ecquis, tam aut lapideus aut ferreus, quem tanti amoris non tangat dulcedo atque nobilitas? Sic demum intelligemus, quid sit illud, ἐπτώχευσε πλούσιος ὤν. (1) Sic demum unicum illum, ut neminem, suspiciemus, qui tametsi ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, (2) nostrae salutis procurandae causâ, servi sponte suâ susceperit conditionem. Et vero, quod maximum, sic est futurum, ut tanto amore victi, admiremur non tantum, sed amemus etiam, utque vulgaris amor, quo rebus terrestribus adstringimur, sancto illius amori cedat; sic autem, quod fieri per solam legis moralis auctoritatem nequit, amoris vi impulsi, ad ejus adspirare similitudinem conabimur.

III. Accessimus ita A. A. ad tertiam orationis nostrae partem, qua demonstraturos nos esse memineritis, pulso demum Docetismo, fore, ut ipsi ad Jesu similitudinem escendere possimus. Hoc vero, quominus e consilio divino fiat, vide, quanta impedimenta afferre Docetismus merito existimetur.

(1) 2 Cor. VIII. 9. (2) Phil. II. 6—8.

Est hoc nimirum gravissimum religionis nostrae placitum: *id, quod Christus est, nos fieri debere.* Quod operae pretium videre, quam late pateat in scriptis Euangelicis. Fuerit ille immunis a peccato; at nos quoque destinati sumus ut *sancti* liquando et *inculpati* Deo coram prodeamus. (1) Locutus ille fuerit, quaecumque *audiverit* a patre; at de nobis quoque valet: *quicunque audiverit a patre et didicerit, venturus est ad me.* (2) Viderit ille Deum; sed *qui animo sunt puro, Deum quoque intuebuntur.* (3) Valuerit de Christo, et dum in terris vivebat: τὸ εἶναι ἐν τῷ οὐρανῷ; at in *coelis nostra quoque civitas* esse dicitur, ipsique adeo cum Christo sumus in coelo collocati. (4) Fuerit ille perfectâ rerum et humanarum et divinarum scientiâ ornatus; de Christianis Christi spiritu imbutis, pro suo quoque et modo et ratione valet: (5) ὑμεῖς οἴδατε πάντα. Dederit illi Deus, Spiritu sancto plenum esse; sed idem mox loquitur Euangelista de Spiritu sancto, quem accepturi sint, qui fidei vinculo cum illo conjungantur. (6) Fuerit adeo ille ὁ Χριστός; at vero et ὑμεῖς, Apostolus testatur, χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου; (7) ut, prouti ille *rex* sit *sacerdos*, nos similiter *reges* et *sacerdotes* constituerit. (8) Quam δόξαν ipsi Pater dederat, eandem, ut ipse ait, et impertitus fuerat discipulis. (9) Dederit illi Pater τὴν ζωήν, vitae principium et fontem habere ἐν ἑαυτῷ; at vero legitur similiter, *ni carnem filii hominis edatis ejusque sanguinem bibatis*, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς. (10) Summa quaeque praestiterit ille; at quicunque, inquit, fide mecum est conjunctus, *quae ego facio, et ipse poterit* efficere. (11) Sit ille testatus de se ipso: *Sum equidem lux mundi;* at de Apostolis similiter testatur: *vos eritis lux mundi.* (12) Fuerit ille ὁ ὗιος τοῦ θεοῦ, at vero et nobis ἐξουσίαν ἔδωκεν, τέκνα θεοῦ γενέσθαι. (13) Vocaverit ille Deum *patrem* suum; at valedicens nobis: « Adscendo inquit » ad patrem meum, sed eundem *patrem vestrum.* (14) Dicatur ille εἰκων τοῦ θεοῦ; verum nos quoque τὴν αὐτὴν εἴκονα μεταμορφούμεθα ἀπὸ δόξης ἐις δόξαν. (15) Fuerit ille *Deo similis*, ἐν μόρφῇ τοῦ θεοῦ; et nos poterimus συμμόρφοι εἶναι τῆς εἴκονος

(1) Eph. I. 4. V. 27. 1 Jo. III. 9. (2) Jo. VIII. 26. VI. 45. (3) Jo. VI. 46. Matth. V. 8. 1 Jo. III. 2. (4) Jo. III. 13. Eph. II. 6. (5) 1 Jo. II. 20. (6) Jo. VII. 39. (7) Act. X. 38. 1 Jo. II. 20. 2 Cor. I. 21. (8) Apoc. I. 6. 1 Petr. II. 5. (9) Jo. XVII. 5, 22. (10) V. 26. VI. 53. (11) XIV. 12. Matth. XXI. 21. (12) Jo. VIII. 12. Matth. V. 14. (13) Jo. I. 12. Matth. V. 9, 45. (14) Jo. XX. 17. (15) 2 Cor. IV. 4. III. 19.

αὐτοῦ; et ipsi, auctore JOANNE, *ὅμοιοι ἐσόμεθα αὐτῷ*, (1) ad Dei similitudinem poterimus escendere. Habitaverit in illo *πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος*; at vero, ait PAULUS, ut et vos per illum *πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ θεοῦ*. (2) Sumserit ipse sibi Deum, in omnibus, perfectum, quod imitaretur exemplum; verum et nobis officium injungit, ut ***simus et ipsi perfecti prouti pater coelestis perfectus est.*** (3) Fuerit ille *ὁ ἄνθρωπος ὁ ἐξ οὐρανοῦ*; at vero et nos *φορέσομεν τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου*. (4) Fuerit ille a Deo constitutus *πάντων κληρόνομος*; at, qui fide cum illo sunt conjuncti, dicuntur *τοῦ Χριστοῦ συγκληρονόμοι*. (5) Fuerit in illo Deus; at ***Dei templum*** et Christianus audit, ut aliquando *ὁ θεὸς τὰ πάντα* sit *ἐν πᾶσι*. (6) Dixerit ipse sese *ἓν εἶναι καὶ τὸν πατέρα*, et pro Apostolis aliisque credentibus precatur, *ἵνα καὶ αὐτοὶ ἓν ὦσιν* cum ipso atque patre. (7) Spiraverit ejus vita sublimiorem rerum ordinem, ut coelitus se descendisse, *ἐκ τῶν ἄνω* se esse, *ἄνωθεν ἐρχόμενον*, neque ex hoc mundo originem se ducere contenderet; at nobis quoque *γεννήσις ἄνωθεν* commendatur, et de Apostolis idem, quod de se ipso, est testatus: *οὐκ εἶναι αὐτοὺς ἐκ τοῦ κόσμου*. (8) Dederit illi Deus potestatem *κρίσιν ποιεῖν*; et, PAULO auctore, *οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινοῦσι*. (9) Ad thronum patris evectus ille fuerit; at vero *ὁ νικῶν*, inquit, *δώσω αὐτῷ καθίσαι μετ᾽ ἐμοῦ ἐν τῷ θρόνῳ μου*. (10) Quid? quod, auctore PETRO, beari privilegio possimus, ut aliquando ipsi, nostro modo et ratione, fiamus *τῆς θείας φύσεως κοινώνοι*. (11) Quid plura A. A., ut nobis persuadeatur, hoc esse Christianae religionis primiarum consilium, ut, ***quod Christus est, idem et nos, ipso auctore, fiamus aliquando?*** In Christo scilicet summum, quo possit natura humana escendere, apparuit fastigium. Verissime enim ATHANASIUS: ***Deus humanâ sese naturâ conspiciendum dedit, ut homo fiat divinae naturae socius.*** Non quasi ille, qui Ebionitarum et Socinianorum erat error, mortalibus ceteris aequiparandus sit, aut quasi, Rationalistarum modo, in ejus meritis laudandis defungi ***sapientis Nazarethani*** nomine aut ***summi genii*** cum STRAUSSIO possimus:

(1) Phil. II. 6. Rom. VII. 29. 1 Jo. III. 2. (2) Col. II. 9, 10. Eph. III. 19. (3) Jo. V. 17, 19, 20. Matth. V. 48. (4) 1 Cor. XV. 47. (5) Hebr. I. 2, Rom. VIII. 17. (6) Jo. XIV. 10. 1 Cor. III. 16. XV. 28. (7) Jo. X. 30. XVII. 21. (8) Jo. VIII. 23. III. 2. XVII. 14. (9) V. 27. 1 Cor. VI. 2. (10) Apoc. III. 21. 2 Tim. II. 12. (11) 2 Petr. I. 4.

sed contra, ut nobis ad ejus magnitudinem, si minus in hujusce vitae terrestris stadio, at aliquando tamen, in sublimiore rerum ordine, adspirare liceat. Hoc ipsum scilicet, Jesum *in omnibus fuisse nobis similem*, non eo valere, A. A.! debet, ut illum de summo, quo nitet, dignitatis fastigio, ad nostram parvitatem detrudamus; sed ut hoc humanitatis quodam exemplo perfectissimo appareat, quousque praestantiae et magnitudinis humana escendere natura possit. Hoc ipso autem Christus, utut in ceteris nobis similis, non *gradu* tantum, verum et *specie* a nobis distinguendus est, ut quod ille *a se* sit, *naturâ suâ*, et vero *origine prorsus singulari*, id nos possimus et debeamus aliquando fieri; at vero non *a nobis*, non *proprio*, quod dicitur, *remigio*, sed unice per illum. Illud tamen, quî poterit intelligi, quî fieri, ni Christum, etsi πρωτότοκον at πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς (1) cum PAULO habeamus. Quomodo nos, quod Christus est, poterimus et ipsi aliquando esse, ni illum ejusdem esse stirpis, σαρκὸς καὶ αἵματος μετασχεῖν, (2) ut nihil certius crediderimus. Sit ille, ut est revera, vitis, unde in palmites vis vere vitalis transeat: at vero sunt ejusdem stirpis et ipsa vitis et ipsius palmites. Fico inseras aut cuilibet tandem alienae stirpis arbori, at ullos inde fructus cave ne exspectes. ὅ τε γὰρ ἁγιάζων, ut ille ait, καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες. (3) Aureola sententia, quam unaquaeque Jesu historia veluti in ipso fronte gerat. Prodeant Docetae; exemplum nobis Christi commonstrent perfectissimum: evocet nos horum Christus: « Me intueamini mortales, me ducem et comitem sequamini, ne metuatis, ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον, » perinde erit, ac si quis imperator militibus animum addere viresque studeat, eosque suo exemplo ad pugnam incitare, cum ipse telis nequeat attingi. Vos, viri venerandi! vos ipsos hîc attestor, quam parum et hodieque apud plerosque Christianos veleat, ad studia virtutis excitanda, ad Christum provocatio, ut nobis, ipsum Christum, virtutis exemplum, imo, quod potius dicamus, virtutis colendae fontem commendantibus reponi soleat a multis; *Atqui hoc Christus scilicet perfecit; a nobis, per virium tenuitatem, requiri prorsus nequit.* Hîc vero, quis est, quin Docetismi vim lethiferam agnoscat? Quis est,

(1) Rom. VIII. 29. (2) Hebr. II. 14. (3) II. 11.

quin nervos sic religionis incîdi, cogatur confiteri? At vero jam in fratrem convertamus oculos, utut infinitâ a nobis distantiâ remotum, at fratrem tamen, qui suo nos docuit exemplo, nihil esse tam aut excelsum aut sublime, cujus non sit habenda humana natura capax, nihil tam arduum, nil tam difficile, quin possit humanâ naturâ superari; tum omnino in nobis animum viresque augeri sentimus: tum velut altiore spiritu tacti vires et ipsi experiemur nostras: tum, hunc suspicientes generis nostri et gloriam et decus, huic uni omnium intimo nos amore mancipabimus, ejusque animis nostris veluti imbibentes spiritum, in ipsâ hac naturali virium tenuitate πάντα ἰσχύσομεν ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντι ἡμᾶς Χριστῷ. O felicem ter quaterque felicem aetatis nostrae conditionem, qua, quod in philosophiâ Socrates olim praestitit, et Theologia de coelo in dies devocari atque in verissimam humani generis salutem adhiberi coepit. O nos felices, quibus in Christi personâ, humanitatis imagine perfectâ, Deus patefit, *ne supra nubes sit quaerendus*; (1) quique pro metaphysico Christo, vix quidquam ad nos pertinente, Christum historicum, pro alieno fratrem recuperaverimus, cujus praestantiâ et perfectione intelligatur demum et vere explicetur divinum illud: Ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.

His ita peractis, superest, ut pro diei solennitate vos omnes compellem, quibuscum arctiore vinculo ab hoc inde tempore me conjunctum sentio; animi vero grati sensus iis significem, quorum in me collata beneficia publice hîc celebrare et praesentibus coram extollere me posse intimo animo gaudeo.

Hîc vero primum ad Vos me converto, Viri Nobilissimi, Athenaei Frisiaci Curatores Amplissimi, quorum est curâ et honorificâ de me existimatione

(1) Verba sunt CALVINI ad 1 Tim. II. 5.

factum, ut, Regis augustissimi decreto, Theologiam docendi mhi imandata sit provincia. Equidem in Ecclesiâ Meerkerkensi, tot mihi nominibus carâ doctoris et pastoris munere fungens, nec novam magnopere stationem expetens, nil quidquam minus exspectaveram, quam mihi oblatum iri aliquando Theologicae Cathedrae honorem. Vos illo me honore dignum judicastis, Viri Amplissimi! ego vero tenuitatis meae conscius, heu quoties optavi, ne inter pristinam et praesentem vitae conditionem optio mihi facienda esset. Feci optionem; Vestrae invitationi honorificae, post longam dubitationem, morem gessi, praeceptorum Clarissimorum auctoritati, meâ de me opinione superiori cedens. Num bene egerim, qui stationem reliquerim, qua me utilem esse multis et multifariâ ratione posse noveram, eamque cum praesenti commutaverim, numque ego is sim, qui praeclaro vobisque tot nominibus caro HUURLINGIO succedere possim, futura tempora docebunt, me ut tanto dignus sim honore vereri, non est quod dissimulem. Quod autem in tot tantisque difficultatibus animum viresque addit, Vestra est benivolentia, tum vero persuasio, me eruditionis copiâ tametsi multis aliis inferiorem, nemini tamen ardore rei Christianae provehendae cedere velle. Sentio enim et ipse usu sum edoctus, quam sit τὸ εὐαγγελιὸν divina vis ad erigendos animos sanctique nos amore imbuendos. Itaque hoc clypeo armatus forti animo progrediar. Vos Viri Amplissimi pergatis disciplinarum et humanitatis commodis inservire; Vestris auspiciis floreat Athenaeum Frisiacum! O utinam nec Vos, neque me unquam mihi a vobis mandatae et a me susceptae provinciae poeniteat!

Venio ad Vos Professores Clarissimi, quorum collegio me adscribi in hodierni diei gaudiis recenseo. Vestrae eruditionis copia et fama tametsi a me suspiciantur, non tamen vereor, ne me repellant, quippe quae cum summâ erga me benivolentiâ juncta, spem faciant mihi, fore ut vestrâ copiâ mea infantia alatur atque sustentetur. Diversae sint, quibus operam singuli navamus disciplinae, non tamen a se invicem alienae. Est enim commune quoddam omnium artium et disciplinarum vinculum, quo singulis hic propositus est finis, ut humanitatis causa provehatur. Huc Viri Clarissimi! una vobiscum tendere in votis habeo. Et quidni habeam, cum hoc ipsum, quod dixi, commune artium et disciplinarum vinculum mente mihi virum repraesentet, quem

amissum omnes boni lugent, lugent, quibuscunque humanitatis et religionis causa cordi est. Novisti virum, Clarissime ROVERSI! amore eum prosecutus es, cujus institutione ambo fuimus beati, quem ambo coluimus ut vitae ducem, ambo ut alterum parentem desideramus et lugemus. Eheu nobis! quibus non amplius os illud carissimum aperietur, unde veluti nova identidem in nos transire vita videbatur, quoties ab ejus ore pendere ejusque institutione beatis nobis esse licebat. Sed nolumus hîc acerrimum renovare dolorem. Ne simus nos ingrati, quibus Divina Providentia in itinere terrestri, HEUSDIUM viae ducem concesserit. Discesserit a nobis; at coelo illum ne invideamus, qui terrâ major esse videbatur. Discesserit, at animis nostris vivere amabilique suo genio nos comitari et tueri pergit. HEUSDIUS igitur, carissime ROVERSI! sit amicitiae nostrae perenne fundamentum! HEUSDIUS, ut ipse mihi significasti, HEUSDIUS, si quis alius, animos jungit!

Te cum adspiciam dilectissime Pater, exsultat animus; tuâ enim praesentiâ hunc festum diem inprimis exhilarari, quidni publice profitear. Quid vero tibi dicam, qui mihi a teneris inde vitae dux exstitisti fidelissimus, summis me cumulasti beneficiis, doctrinâ tuâ mihi profuisti, praesentiâque tuâ, quam propter valetudinem et vero itineris molestias vix poteram sperare, eximiis in me meritis hodierno die cumulum adjicis? Quodcunque enim sim aut profecerim in literis, ducibus praeceptoribus clarissimis, HEUSDIO nostro τῷ μακαρίῳ, SCHRÖDERO, GOUDOEVERO, GROENEWOUDIO, tum vero in disciplinis Theologicis institutione summi HERINGAE, utriusque nostrum praeceptoris nunquam non piâ memoriâ colendi, BOUMANNI, cujusque haud ultimo loco referre nomen hîc debueram, ROYAARDSII tot mihi nominibus praeceptoris carissimi, haec omnia, quae illis me debere sentio, a te veluti principe fonte repeto. O me beatum, cui, solenni hoc die, tecum amoris et pietatis foedus publice sancire contingit! Tu Ecclesiae Christianae et orbi literato ad seram usque senectutem prodesse pergas; tibi bonos Deus O. M. propitioque genios vitae comites concedat, mihi vero hoc gaudium, ut vitae tuae felicitatem, meâ augere felicitate possim, quae muneris bene gesti conscientiâ a me censebitur.

Nec vero committere possum, quin te etiam hac opportunitate compellem,

Socer dilectissime, qui, quantum mea felicitas tibi cordi sit, publico documento, tuâ praesentiâ declaras. Quam te gaudii, sed gaudii, cum magnâ tristitiâ permixto sensu hîc intuear, non est, quod tibi multis significem. Est enim in mediâ prosperitate, quam Deus hodierno die in nos confert, est, quod desideremus eam, cujus amore tu vitae felicitatem aestimabas, ego, quod magis in deliciis ponerem, non habebam. Quo vero minus haec nostra beatitudo integra esset, obstitit divini numinis voluntas, cujus amorem, tametsi durus subinde videatur, vel sic, et in carissimorum capitum desiderio, revereri nunquam desinamus. Nos potius tendamus eo, quo illa nobis in beatorum sedes jam praeivit. Quod autem filiae tuae in terrâ non amplius, eheu! potero praestare, hoc tibi et tuis me numquam non futurum, ut nihil magis tibi persuadeas. Sic in medio luctu, amoris divini persuasio, mutuusque amor, quo conjungimur, moestos animos exhilaret bonâque nos muniat melioris conditionis spe. Hanc igitur arripiamus, hac confidamus, et infelices nos aestimare desinamus, quibus amore Dei, summo eoque perenni bono, in mediis etiam calamitatibus, beatis esse liceat.

Vos denique Juvenes exoptatissimi! bonarum in hoc Athenaeo artium et disciplinarum studiosi, vos ita de me existimetis, nil quidquam in votis me potius habere, quam ut, juvenis ipse, vobiscum, amicitiae, quae mutuo pulcri bonique amore censeatur, foedus jungam. Vestrum plerisque si minus potero doctoris Theologiae officia praestare, hoc tamen habetote, unum esse, quo indigeamus omnes, quodque artes et disciplinas, veluti communi vinculo conjungat. Hoc vero quale sit, si quaeritis; sanctissimae religionis nostrae dicimus principia, quibus omnes utinam, juvenili praesertim aetate, imbuamur, ut studia nostra, qualiacunque tandem, ad verissimam aliquando et perfectionem et vero salutem humani generis conducant. Munerum sit, et studiorum, ut esse debet, discrimen atque varietas; sed idem sit spiritus, quo omnia intus et alantur vitamque et vires in dies accipiant majores. Est autem spiritus ille Christi spiritus. Hoc animos vestros imbuere, et publice pro concione verba faciens, tum vero si, quod in votis est, et frui privatim vestrâ mihi liceat consuetudine, muneris mei partem dulcissimam habebo. Sic, praestantissimi commilitones! Christi principiis nutriti, ad praeclara quaeque singuli tendamus in disciplinâ nostrâ! De eo profecto non est

desperandum, cui semel Christus carus et acceptus esse coeperit. Te vero, Deus O. M., oramus, ut sancto Illius nos imbuas amore, per quem unice ad veram humanitatem progredi mortali liceat. Tu nos amore tuo regas, ut tuis auspiciis nostrum Athenaeum, si minus numero, at alumnorum bonitate atque virtute floreat, patriae vero et ecclesiae hinc prodeant cives boni, religionis Christianae et humanitatis vindices!

DIXI.

SERIES LECTIONUM,

QUAE HABITAE SUNT

IN ATHENAEO FRANEQUERANO,

ANNO MDCCCXXXIX — MDCCCXL.

RECTORE MAGNIFICO

SICCONE ENS.

S. ENS, bis docuit *Osteologiam*, quater *Physiologiam*, quater *Chirurgiam Generalem*, ter exposuit *Medicinam Internam*, ter item *Artem Obstetriciam*. Hiberno tempore *Demonstrationes Anatomicas in corporibus mortuis* quotidie exhibuit.

N. MULDER, ter tradidit *Chemiam*, *Botanicen* vero bis hiberno sexies verno tempore, bis denique *Geologiam*.

G. MUURLING, bis tradidit *Introductionem in Theologiam*, semel *selecta N. T. capita* illustravit.

G. A. ENSCHEDÉ, quater exposuit tum *Elementa Matheseos*, tum *Physicam Experimentalem*, bis docuit *Logicam*, bis item *Stereometrium* et *Trigonometriam Sphaericam*.

J. A. C. ROVERS, quater enarravit *Historiam Gentium*, quater quoque *Romanam Antiquitatem* tradidit, bis interpretatus est *cl.* WYTTENBACHII *selecta principum Historicorum*, bis item XXI *Livii librum* et *selectas Horatii odas*.

T. G. J. JUYNBOLL, quater exposuit *Grammaticam et Syntaxin linguae Hebraeae*, bis vero *Grammaticam Arabicam*, bis quoque *Syriacam et Chaldaicam* docuit. Bis habuit *V. T. Lectionem Cursoriam* (*librorum historicorum*), bis denique scholas *Philologicas et Criticas in V. T. libros poeticos et propheticos.*

F. DE GREVE, bis tradidit *Jurisprudentiae Encyclopaediam et Methodologiam*, ter *Romani Juris Historiam*, quater *ejusdem Juris Institutiones*, quater interpretatus est *Pandectas*, ter exposuit *Jus Naturae*, bis denique *Literas Patrias.*

ATHENAEUM

AMSTELAEDAMENSE.

NOMINA PROFESSORUM

QUI

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELAEDAMENSI

a d. VIII *Febr.* MDCCCXXXIX *ad.* VIII *Febr.* MDCCCXL

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

CLARISSIMI ORDINIS PRAESES

GUILIELMUS VROLIK

ACTUARIUS

HUGO BEYERMAN.

PROFESSORES MEDICINAE.

GER. VROLIK.
F. VAN DER BREGGEN, CORN. FIL.
GUIL. VROLIK.
C. B. TILANUS, Professor Honorarius.
G. C. B. SURINGAR, Professor Honorarius.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

G. S. SWART.
W. H. DE VRIESE.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D. J. VAN LENNEP.
T. ROORDA.
J. BOSSCHA.
H. BEYERMAN.

JURIS UTRIUSQUE.

C. A. DEN TEX.
J. VAN HALL.

THEOLOGIAE.

G. J. ROOYENS.

SERIES LECTIONUM

ET INSTITUTIONUM,

QUAE HABENTUR A PROFESSORIBUS

ILLUSTRIS ATHENAEI AMSTELAEDAMENSIS,

indè a feriis aestivis anni MDCCCXXXIX *ad ferias aestivas* MDCCCXL.

GUILLIELMUS VROLIK,
Med. Doctor, Chirurgiae Theoreticae, Anatomiae, Physiologiae et
Historiae Naturalis professor, clariss. ord. h. t. praeses,

privatim, demostrationes anatomicas habebit tempore hiemali, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora p. m. 11,
docebit porro Zootomiam, tempore vernali, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora matutina X,
Osteologiam, tempore hiemali, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora matutina X,
Physiologiam, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora matutina IX et XI.
Methodum Secandi, tempore hiemali quotidie,
Anatomen pathologicam, hora deinceps indicanda.

GERARDUS VROLIK.
Med. Doct., Botan. et Art. Obstetr. Professor

privatim, docebit
Obstetriciam theoreticam, diebus Mercurii et Veneris, hora II — III,
Philosophiam botanicam, horis indicandis.

DAVID JACOBUS VAN LENNEP,
J. U. D. Litt. Humaniorum et Philos. Theor. Professor,

publice, praecipua quaedam Historiae et Literarum capita tractat, vel ipsi juventuti, exercitationis causâ, disceptanda proponit;
privatim, tum Scholas habet Paedagogicas, die Veneris, horis vespertinis; tum Antiquitates Graecas tradit, diebus Lunae et Saturni, horis I — III; vel, si magis hoc expetatur, Historiam Artium et Doctrinarum ab initio ad renatas in Italia literas, iisdem diebus et horis.

FRANCISCUS VAN DER BREGGEN, CORN. FIL.
Med. Doct. Medic. Professor,

privatim, exponit
Pathologiam, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora matutina VIII;
Medicinam Forensem, diebus Martis et Veneris, horis deinceps indicandis.

CORNELIUS ANNE DEN TEX,
Philos. Theor. Magister, Lit. Hum., Juris Rom. et Hod. Doctor, Juris Nat., Gent. et Publici Professor,

publice, varia loca ex Jure Naturae, Publico et Gentium juventuti disceptanda proponit;
privatim, tradit Historiam Jurisprudentiae Romanae, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII matutina,
Jus Naturale et Juris universe Philosophiam, iisdem diebus hora IX,
Jus Criminale, iisdem diebus, hora XI,
Initia Oeconomiae politicae, diebus Martis et Jovis hora XII.

JACOBUS VAN HALL,
Juris Rom. et Hod. Doctor, Juris Civilis cum Romani tum Hodierni Professor,

publice, selecta quaedam Juris Privati capita juventuti disceptanda proponit;
privatim, tradit

Jus Civile Hollandicum, exponendis ejus principiis, inprimis secundum novum Codicem Juris Civilis, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII matutima;
Jus Romanum, enarrandis Digestorum libris XVIII — L, juxta fragm. distributionem, cujus auctor est POTHIER, iisdem diebus, hora IX, et explicandis JUSTINIANI Imp. Institutionibus, secundum ipsum textum, iisdem diebus, hora X,
Jus Cambiale, ratione habita novi Codicis mercatorii, diebus Mercurii et Veneris, hora XI — XII: denique
Jus judiciarium, secundum leges novas, diebus Lunae hora VIII — IX et Saturni hora VIII — X.

GISBERTUS JOANNES ROOIJENS,
Theol. Doctor, Theol. et Historiae Eccles. Professor. Clariss.

publice, Quaestiones aliquot Theologicas Juventuti disceptandas proponit;
privatim, tradit
Historiam Religionis et Societatis Christianae ab initio ad Carolum Romanum imperatorem creatum, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII matutina,
Theologiae Christianae partem Theoreticam, iisdem diebus hora IX,
Theologiae Christianae partem Practicam, diebus Jovis et Veneris, hora X,
Exegesin novi Testamenti, interpretandis Evangelii Joannei Capitibus XVI et XVII, et selectis deinde quibusdam N. T. locis, diebus Martis et Mercurii, hora X.
Exercitationes Homileticas moderatur.

TACO ROORDA,
Phil. theor. mag., Litt. hum. et Theol. Doctor, Linguar. Orient., Antiq. Hebr. et Exeg. V. F., atque Philos. Theor. Professor,

privatim, *Grammaticam Hebraeam* docebit, adiunctâ lectione *posterioris Samuelis libri*, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora X matutina; *Antiquitates Hebraeas*, diebus iisdem, hora IX;

Exegesin veteris Foederis, interpretandis *Amosi* vaticiniis, diebus Martis et Mercurii, hora XI;
Linguae Arabicae grammaticam, diebus Jovis et Veneris, hora XI.
Cum provectioribus KOSEGARTENII *Chrestomathiam Arabicam* leget, die Saturni, hora p. m. VI—VIII.
Denique *Logicam* docebit, diebus Lunae et Saturni, hora IX, et die Martis, hora p. m. III, aut aliâ commodiore.

GUILLIELMUS SIMON SWART,
Math. Mag. Phil. Nat. Doctor, Matheseos, Physicae et Chemiae Professor,

privatim, docebit

Elementa Matheseos, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora IX,
Physicam experimentis illustratam, diebus iisdem, hora XI,
Elementa Chemiae Generalis, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora III—IV p. m.
Chemiam Pharmaceuticam, diebus Jovis, Veneris et Saturni, hora eadem.

JOANNES BOSSCHA,
Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doct. Hist. Eloq. Poës. Antiquit. Litt. Gr. et Lat. Professor,

privatim, tradet

Literas Latinas, interpretandis Ovidii Fastorum, Lib. III. Sallustii bello Catilinario et Selectis Horatii carminibus, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora I—II,
Literas Graecas, interpretandis selectis e I Herodoti libro locis, Euripidis Hecuba, et Theocrito, iisdem diebus, hora II—III;
Antiquitates Romanas, iisdem diebus, hora XII—I.
Historiam Medii Aevi et Recentiorem, diebus Jovis et Veneris, hora III—IV;

HUGO BEIJERMAN,
Juris Utriusque Doctor, Literarum Belgicarum et historiae Patriae Professor,

publice, partes quasdam historiae literariae Belgicae tractabit,
privatim, Stili bene Belgici praecepta tradet,
Historiam Patriae narrabit,
Selecta Poetarum Belgicorum loca interpretabitur,
Exercitationes Oratorias moderabitur.
} horis deinceps indicandis.

GUILLIELMUS HENRICUS DE VRIESE,
Math. Mag Phil. Nat. et Med. Doctor, Botanices Prof. Extr.,

privatim, docebit elementa Botanices, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora matutina VIII,
Pharmacologiam, iisdem diebus, hora IX,
In usum discipulorum provectiorum Phytotomiam tradet, iisdem diebus, hora X,
Methodum naturalem et systema Linnaeanum, verno tempore, tradet hora VII,
Excursionibus botanicis praeërit, horis deinde indicandis.

CHRISTIANUS BERNARDUS TILANUS,
Medicinae et Chirurgiae Doctor, Chirurgiae et Artis Obstetr. Professor,

privatim, tradit
Chirurgiam et Obstetriciam theoreticam et practicam, singulis diebus, hora VIII et XII,
Exercitationibus clinicis in Nosocomio praeest, quotidie, hora IX

GERARDUS CONRADUS BERNARDUS SURINGAR,
Med. Chirurg. et Art. Obstetr. Doctor, Medicinae Professor,

privatim, docebit
Morborum singulorum pathologiam et generalia iisdem medendi praecepta, diebus Martis, Mercurii et Jovis hora p. m. I.
Praxin Medicam, ad lectulos aegrotantium, moderabitur, diebus singulis hora X.

ACTA ET GESTA IN SENATU

PROFESSORUM ATHENAEI AMSTELODAMENSIS,

a die IX *mensis Februarii* MCCCCXXXIX

usque ad diem VIII *mensis Februarii* MDCCCXL.

Praesidis munere fungitur Vir Clarissimus GUILIELMUS VROLIK.

Die XV m. Martii. Mortem obiit Vir Clarissimus N. G. VAN KAMPEN, Historiae Patriae et Literarum Belgicarum Professor, quem, praeclare de Literis meritum, luxerunt Collegae et Discipuli.

Die VI m. Maji. Vir Clarissimus JOANNES BOSSCHA docendi Historiam, Eloquentiam, Poesin, Antiquitates, Literas Graecas ac Latinas, provinciam auspicatus est solemni oratione *de Historiae et Literarum necessitudine.*

Die XXVIII m. Octobris. Vir Clarissimus HUGO BEYERMAN docendi Historiam Patriae et Literas Belgicas provinciam auspicatus est, pronuntiata solemni oratione: *Ten betooge, dat het geenszins de Engelschen zijn, zoo als* MONTESQUIEU *zegt, maar de Nederlanders, welke ter zelfder tijd die drie gewigtige zaken, de Godsdienst, de Vrijheid en den Handel, ten meesten maatschappelijken nutte wisten aan te wenden.*

JOANNIS BOSSCHA
ORATIO

DE

HISTORIAE ET LITERARUM NECESSITUDINE,

HABITA PUBLICE

DIE VI MAJI ANNO CIƆIƆCCCXXXIX.

CUM HISTORIARUM, ELOQUENTIAE, POËSEOS, ANTIQUITATUM, LITERARUMQUE GRAECARUM AC LATINARUM DOCENDARUM MUNUS IN ATHENAEO ILLUSTRI AMSTELODAMENSI SOLENNITER CAPESSERET.

CIVITATIS AMSTELODAMENSIS

CONSULI CETERISQUE MAGISTRATIBUS

ET

ATHENAEI ILLUSTRIS

CURATORIBUS

VIRIS SPLENDIDISSIMIS ATQUE AMPLISSIMIS

S.

CIVITATIS AMSTELODAMENSIS CONSUL, CETERIQUE MAGISTRATUS, VIRI AMPLISSIMI!

QUI ATHENAEI ILLUSTRIS ET HUJUS URBIS GYMNASII CURAM GERITIS, VIRI SPECTATISSIMI, MAGNIFICI!

QUARUMVIS ARTIUM AC DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

VERBI DIVINI INTERPRETES AC PRAECONES, PLURIMUM REVERENDI!

ARTIUM DOCTRINARUMQUE DOCTORES, VIRI DOCTISSIMI, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI!

STUDIOSAE JUVENTUTIS CORONA, HUJUS ATHENAEI ALUMNI, ORNATISSIMI, PRAESTANTISSIMI!

QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS, AUDITORES ACCEPTISSIMI!

Cogitanti mihi diem, quo, Professorium munus adituro, in hoc Literarum Sacrario, pro concione verba forent facienda, cum illa omnia, quae accedentibus ad dicendum pari opportunitate perturbationem solent adferre, tum alia sese objiciebant multa.

Namque illius temporis repetens memoriam, quo in his subselliis Athenaei vestri alumnus considebam, grata cogitatione recordabar Venerabiles illos Triumviros, qui adolescenti, vel ante peractum studiorum cursum, oblato mihi Praeceptoris munere in hujus Urbis Gymnasio, effecerunt, ut in unis Literis vitae meae tabernaculum possem collocare: ex illis autem, qui tum Athenaeo et Gymnasio vestro praeerant, Curatoribus, neminem superstitem eram visurus. Adscensurus eram in hunc suggestum, ex quo vox audita erat et patris, et fratris, et optimi viri, quem fratris loco habui et dilexi, multi etiam vestrum dilexerunt: horum etiam carissimorum capitum voces in aeternum conticuerunt. Recognoscebam animo has defunctorum imagines imaginibus jam auctas Clarissimorum Virorum, ex quorum docentium ore ac vultu pependeram. Quin ex iis, qui mecum in hoc Athenaeo discipuli fuerunt, quos quidem in hac auditorum corona adfuturos poteram sperare, quam multos mecum erant recordaturi, praepropero fato abreptos: — ut quocunque me verterem argumenta mortalitatis humanae essem visurus.

Quod si miramini, Auditores, in eam vitae stationem vocatum, qua nescio an nulla mihi neque optatior neque honoratior debuerit videri, non ab hujus felicitatis praedicatione ordiri me maluisse, quam a conquerenda sortis humanae fragilitate: prostratus erat animus domestica clade et in mortis cogitatione versari consueverat. Neque tamen in istius moeroris societatem vos vocare constitui, aut male ominato sermoni coram vobis indulgere; sed alio spectat

hoc orationis meae exordium. Ubi enim ab ista recordatione mentem avocavi ad hujus diei opportunitatem, laetior cogitatio totam illam nubem animo removit: occurrebat enim, quam nunc praesens conspicio, personis partim mutatis, eadem scenae facies. Adsunt enim Spectatissimi Triumviri, quorum pronam in me voluntatem ipsa hujus diei solennitas testificatur. Adest in Professorum consessu, qui paterna benignitate me complexus est, ut ego illum parentis loco colui. Adsunt, quos aut muneris societate, aut antiqua familiaritate fraterno quodam vinculo mecum conjunctos fore confido. Postremo vero, quod vobis palmarium est, A. A. eadem cognitionis et scientiae cupiditas, qua, non dico me adolescentulo ante haec quinque lustra, sed in ipsis hujus Athenaei incunabulis, diversa civium genera in hac urbe flagrarunt, ita apud vos dominatur, ut qui hanc primariam patriae nostrae urbem invisunt, non magis ad florentissimam mercaturae sedem, quam ad bonarum artium mercatum se venisse fateantur.

Quae omnia reputans sentio equidem, quam verum sit illud SENECAE effatum, homines quidem interire, humanitatem vero permanere. Quapropter, cum apud diversissimas gentes tres principes poëtae, communi quodam et paene divino consensu, ea usi sint similitudine, ut hominum aetates compararent cum foliis arborum, quae *pronos mutantur in annos*, non illud tantum significare voluisse, humanum genus per vices aetatum usque renasci, sed altius spectasse mihi videntur. Quemadmodum enim ejusdem arboris folia, singula quidem inter se ita diversa, ut alterum alterius simile non reperias, universa tamen, quotiescunque renascuntur, eandem formae figuram fibrarumque structuram, atque eandem succi indolem habent, ita generis humani arbor, ex quo eam plantavit Omniparens rerum naturae Sator, parem semper ex ramis suis profundit sobolem. Cunctae mortalium aetates iisdem semper et cognoscendi et sentiendi et appetendi facultatibus instructae fuerunt, et tales ex Naturae officina prodeunt identidem, quales prodierunt ante haec viginti aut quadraginta saecula. Itaque quamquam verum est quod cecinit LUCRETIUS:

„Volvenda aetas commutat tempora rerum,
„Quod fuit in pretio fit nullo denique honore;
„Porro aliud succedit et e contemtibus exit
„Inque dies magis appetitur;"

sic tamen existimo, quidquid ad pastum animi humani, longo temporis usu, sua se praestantia commendavit, id qui abiturum esse clamant, eos non minus cum ratione insanire, quam qui certissimis societatum nostrarum adminiculis instantem abitum minitantur. Cujus quidem rei argumento egomet sum ipse, A. A. coram vobis verba faciens. Quidquid enim in omni vitae ratione tempora mutarunt, quascunque vetustatis formulas saeculum abjecit, quaecunque opinionum commenta delevit dies: illae Literae, quae in Illustri vestro Athenaeo, cujus altera saecularia abhinc septennio celebrastis, tum cum conditum est, omnium disciplinarum primae nactae sunt cathedram, florent adhuc apud vos, meque in hunc suggestum evexerunt. Quidni autem? nam quemadmodum panis, divino quodam munere mortalibus datus, corporibus alendis nunquam cessabit proprius ac naturalis haberi cibus, ita aut fallor ego, aut illis, quas dico, Literis suus stabit honos, quamdiu erunt in terris, qui animos quoque humanos pastu quodam indigere sentiant.

Verumtamen nisi ad eum finem dirigantur studia, ut homines veris utilitatibus mactent; contra, si qui, inconsiderato ardore abrepti, illud Literis operam dare per se solum spectent et absolutum aliquid esse proclament, neque reminiscantur, non Scholae nos sed vitae discere oportere, verendum est, iis praesertim temporibus quibus omnes disciplinas ad vitae emolumentum transferri videas, ne praestantissima illa Literarum studia in contemtionem adducantur eorumque utilitatibus multi priventur.

Ne tamen, quaeso, credatis A. A. Literarum dignitatem ita me velle tueri, ut *αἰσχροκερδίας* cujusdam fiant administrae, quae saeculi nostri nota est atque labes. Sed in ea ego sum sententia, nisi utile sit quod discimus, putidam esse industriam, et in omni institutione illud SOCRATIS valere, non multa discere sed quod utile sit, eam demum veram esse sapientiam: itaque Literarum etiam praestantiam ita potissimum spectari, si ad pastum animi et ad excitandos ingenii virtutisque igniculos pro cujusque saeculi ingenio adhibeantur.

Quare simul atque, honorifico hujus Urbis Magistratuum decreto, in Athenaeo vestro, hoc quod nunc aggredior docendi munus mihi adsignatum est, illud mihi primum fuit, ut mecum considerarem, quanam ratione, hoc quod vivimus tempore, Humaniorum Literarum et Historiae studia ad

usum civilem et ad animi cultum utilia, ac nostris hominibus re vera fieri possint βιωφελῆ.

Atque in hac meditatione primum propositum erat ut quaererem, quid hoc esset quod a majoribus constitutum adhuc vigeat, ut Historiae doctores sint qui Veterum Literarum scientiam profiteantur. Historiam enim ex eruditorum umbraculis progressam, in luce forensi collocatam hodie videmus et in omnium domos introductam. Fuit autem tempus, quo locupletissima illa testis temporum in contrarias partes misere dilacerabatur, in servitutem adserta duarum praesertim disciplinarum, Theologiae et Philologiae.

Tum, qui Theologiae eam subservire cupiebant, ad *Israëlitarum* res omnia referebant et *Hebraeorum* gentem, solis instar, in medio antiquitatis mundo collocabant, unde reliqui populi momentum accepissent et lumen. Philologi contra, nil nisi Graecorum Romanorumque scriptorum interpretationem cogitantes, eidem genti vix potiores tribuebant partes quam aut *Paphlagonibus* aut *Lotophagis*. Recentiora autem tempora neutri magnopere curabant. Illi enim, cum quatuor Monarchias, DANIELIS visionibus promissas, jam praeteriisse crederent, tamquam expletis propemodum generis humani fatis, reliqua tempora, instante mundi termino scilicet, non nisi adpendicem quamdam antiquitatis habebant. Hi vero, *Telchinum* et *Etruscorum* res magis ad se pertinere existimabant, quam Christianae humanitatis incrementa. Ex his vero vinculis proripuit se Historia, et in libertatem sese vindicavit, et sui juris facta est, et esse debet atque manere, neque cuiquam disciplinae se mancipare.

Igiturne illa Literarum filia et amica, ancillae instar, matri suae nunc etiam subserviet? aut quid sibi vult ista Literarum et Historiae conjunctio? Hoc nimirum, si quid video, ut mature mentibus infigatur et perpetuo inhaereat, ad Historiae Sacra pertractanda animum afferri oportere, iis studiis excultum, quae ab humanitate nomen acceperunt.

Habetis A. A. orationis meae argumentum. Ita enim potissimum personae, quam sustineo, et huic occasioni convenienter me dicturum esse existimavi, si hodie dissererem, nostrorum temporum praesertim habita ratione, *de Historiae et Literarum necessitudine.*

Scio, A. A. qui se aliis itineris ducem ad eloquentiam quoque fore profitetur, ei dicenti in auditorum indulgentia nullum esse perfugium.

Idem vero scio, apud eos me dicere, quorum humanitas major est quam ut verendum sit, ne quispiam quosdam quasi laqueos mihi tendat, et si quid exciderit parum expolitum, continuo diem mihi dicat violatae Latinitatis. Nam postquam per decem annos ejusmodi provinciam administravi, quae a Latini sermonis usu aliena erat, nullus equidem dubito, quin multis in locis orationis meae cursus languere vobis videatur: quod quotiescunque deprehenderitis, ea vosmet ipsi, quaeso, spe consolemini, fore ut navigium meum incitatiorem motum aliquando possit recuperare, ubi jam velis remisque impelletur, id quod me enixurum promitto, recipio, spondeo. Interea ut me benevolis animis audiatis, etiam atque etiam rogo.

In Historiae studio illud primum est, ut *quid factum sit* cognoscamus, cujus cognitionis cum praecipui fontes sint historicorum scripta, ita demum praeteritorum temporum notitia fundamento veritatis nitetur, si exploratum sit, quanti cujusque scriptoris et rerum proditarum fides sit aestimanda. Hoc autem judicium ea literarum studii parte acquiri perhibemus, quae continetur illustrandis et interpretandis illis ingenii monumentis, quae reliquere veteres, Graeci in primis et Romani.

Nimirum jam in vestibulo, Historiae templum intrantibus, poëtae occurrunt: antiquissima enim Historiae interpres Poësis. Ab HOMERO Graecorum ut poëtarum ita historicorum agmen ducitur. Orientalium res, omni memoria gestas, carminibus suis soli fere consignarunt poëtae. Origines autem populorum, qui hodie Europam incolunt, prorsus essent incognitae, nisi apud Gothos, et Longobardos, et Francos, poëtae exstitissent, quorum carmina annalium scriptoribus materiam dederunt, ut, cum ea CAROLUS MAGNUS colligi juberet, memoriae temporum prospicere voluisse videatur. Postquam vero pedestri oratione Historia loqui coepit et res gestas enarrare magis quam exornare, non tamen ornamenta deposuit, quibus eam nascentem velarat mater Poësis. HERODOTUS quidem Historicorum *Homerus* dictus est, quemadmodum HOMERUS Poëseos fuerat *Herodotus*. Quis THUCYDIDE veritatis studiosior aut rerum pronuntiator gravior? qui tamen et de bellicis rebus, quod ait CICERO, *canit* etiam quodammodo bellicum, et in celeberrimis illis concionibus

elaborandis, ut qui post eum idem secuti sunt omnes, poëtae magis, quam sinceri narratoris partes egit. XENOPHONTIS autem ore si Musae locutae esse dictae sunt, illud non ad solam dictionis suavitatem pertinet: sed etiam narrationem, distinctam personis et interpunctam sermonibus, ita disposuit, ut dramaticam aliquam poëtici operis formam expresserit. De Romanis quaeritis? Apud hos quoque, quamquam graviora et magis frugi secutos, poëtico habitu incedere videmus Historiam. LIVIUM quidem sequamur ducem, et HANNIBALIS contemplemur milites, Alpicos saltus trajicientis, cum equis atque elephantis per praecipites angustasque vias in glacie tabidaque nive volutantes; aut a CURTIO in SISYGAMBIS tabernaculum introducti, DARII filiolum spectemus, ALEXANDRI cervicem manibus suis amplectentem: intelligemus profecto, quid sit quod in Heliconiis vallibus inter Musarum choros Historicae Arti veteres locum adsignarint. Deberi autem hunc ei locum, recentiores etiam judicarunt. Sive enim apud GIBBONUM luculentam illam Constantinopolitanae expugnationis descriptionem legimus; sive apud HOOFTIUM nostrum Principum deliberationes, militum seditiones, Hispanorum atrocitates, tamquam in lucidissima tabula depictas cernimus, sive in alio quocunque Historico, qui quidem non ad jejunam annalium confectionem descenderit, versamur: ab omnibus non ad absolutam, sed ad poëticam quamdam veritatem Historiae opera disposita videmus. Quemadmodum enim poësis picturae similis est, haud secus atque poëta, hoc agit historici operis conditor, ut ea in proscenium educat, quae propius posita delectent, quae vero rebus scite ordinandis impedimento sint aut lectorem minus possint capere, longius removeat, quae autem

„ Desperet tractata nitescere posse, relinquat."

Attamen, qui unum illud quod verum est sectatur, atque incorruptam lucem veritatis esse sibi exoptat Historiam, eum quo loco et numero quaeque res ponenda sit, intelligere oportet ac cernere. Hanc autem judicii subtilitatem historicorum lectioni is praecipue afferet, qui, diligenti poëtarum interpretatione, conceptas ingenio imagines, elatas grandibus verbis sententias, et ad admirabilitatem compositas narrationes descriptionesque, ex veritatis

imitatione, ex pulchri sensu, ex poëtici ingenii natura et ex artis praeceptis explicare atque ponderare didicerit: quam quidem poëtarum interpretandorum rationem, inaudito veteribus vocabulo, Aestheticam hodie vocant.

Neque solum a generosae poëseos imitatione cautionem habet fidei historicae exploratio. Exstiterunt omnibus saeculis, qui res parum sibi compertas posteris tradere aggressi, falsa pro veris traderent. Exstiterunt, qui temporum memoriam ad eas partes componerent, quas in philosophia sequebantur. Exstiterunt etiam turpissima legitimae historiae dehonestamenta. Quoties enim ira ac studio abrepti, alii ornando auxerunt, quod alii vituperando afflixerant! Quam superstitiosa credulitate aut callida perfidia suis quisque opinionibus Historiam accommodavit! ut illud statutum esse debeat fixumque, quod jam ante viginti saecula pronuntiavit POLYBIUS, ad Historiam tractandam eum animum afferendum esse, ut judicare nos oportere existimemus.

Quamobrem cum multae causae judicii nostri sinceritati adversentur, auxilia contra sunt comparanda. Adversatur autem primum, quod animus, aliarum rerum voluptate abreptus, parum defigitur et intenditur in id, quod judicio subjectum est. Solet hoc vitium primam omnium artium Historiam affligere, crescente scribendi legendique fervore. Quemadmodum enim illae fabulae, quas Graeci *Milesias* dixerunt, ab ea urbe nomen habent, ex qua primi Graecorum Historici prodierunt, CADMUS MILESIUS, HECATAEUS, DIONYSIUS, alii, ita fervescente historiarum lectione, ubivis exsistit scriptionis genus, aliquid quidem historicum continens, sed fictionis plenum, et magis delectationis quam utilitatis causa inductum, et a doctis quidem ingeniosisque viris saepius tractatum, neque doctis viris despiciendum, quo tamen — dicam enim A. A. quod sentio — corrumpitur veri sensus apud eos, qui, ut RUHNKENII verbis utar, *mustum bibunt, quod vini veteris acrimoniam atque austeritatem non ferunt.* Manat ita per lectorum vulgus properatae lectionis, non item cogitandi judicandique consuetudo: cujus mali si quem immunem esse cupimus, subigere animum ejus oportet, et lentae meditationi adsuefacere, ne praestigiis quibusdam captus mentem a veri judicio secum auferat praecipitem. Illud autem, si qua alia disciplina, praestat accurata veteris doctrinae interpretatio, quae, a verbo ad verbum procedens, singula, ne literarum apicibus quidem neglectis, ad Grammaticam normam exigendo et critica lance ponderando, nihil inexploratum relinquit, nihil non pensitatum. Quid? quod ea pars

Philologiae, quae praestantissimi antiquitatis scriptores quid scripserint et quomodo scripserint, aperit et explicat, ut variae doctrinae uberrimus fons est, ita ipsas illas mentis vires excitat, quibus cum maxime instructum esse oportet, qui ad Historiae studium accedit. Namque ejus pars Grammatica, singulas loquendi formulas in suas partes dispertiendo, et quae nomina verbaque quibus nominibus ac verbis jungenda sint monstrando, ad summam perspicuitatem ea perducere docet, quibus tenebrae obductae erant, et quae contrariae videbantur in iisdem vocabulis significationes, origines vocum enucleando, conciliare: quo fit, ut mens perspecta omnia habere adsuescat et in principiis rerum discat veritatis fundamenta quaerere.

Itaque cum in rerum commemoratione ipsum illud quod factum sit, semper a narratoris judicio sit segregandum, ut ex narrationis putamine veritatis nucleus eruatur, id optime efficiet, neque unquam facere negliget, qui quidquid accurate cognoscendi causa legerit, enucleate explicare consueverit.

Critica vero veterum interpretandorum ratio tota in judicando versatur, unde et nomen habet. Sive enim illa operam suam collocet in germanam cujusque loci lectionem ex manu exaratis codicibus eruendo, aut conjectura odorando, excitatur mirifice sagax animi vis; sive versetur in pensitando recte nec ne quidvis sit scriptum, arguta et ingeniosa a veris discit distinguere: ut, comparando id quod sit, cum eo quod debeat esse, judicis personam criticus veterum interpres nunquam deponat.

Neque hoc est praetermittendum, quod animus humanus tum maxime vigorem et firmitudinem acquirit, quum variae vires ejus ac potestates aequabiliter excoluntur; ut, qui unice in veri perspicientia versantur, pulchri autem bonique sensum torpore hebetari patiuntur, eorum mens ad judicandi laborem paulatim languescat. *Quemadmodum* enim *terrae*, quod ait PLINIUS, *variis mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac, nunc illa meditatione recoluntur.* Illud autem praestant literarum studia, quibus et veri et pulchri et boni sensus libramento quodam egregie continentur. Rerum cognitione saturatur animus, aut flaccescit judicandi severitate defessus? Imo vero recolitur continuo et recreatur elocutionis ornamentis, poëticorum lusuum amoenitate, sapientiae praeceptis et ad honestas actiones incitamentis. Atque hanc non levissimam esse causam existimo, quod praeclari viri, qui in rebus publicis principatum aliquem tenuerunt, in

Historia quidem toti habitantes, humanitatis studiis mentem nutrire et poëtarum lectione animum recreare solebant. Quid illum prudentem Galliae statorem HOSPITALIUM, aut Brittanniae excitem propugnacula, TEMPLIUM, BURKIUM, PITTUM, CANNINGIUM? Patriae nostrae testor columina, BEVERNINGHUM, FAGELIOS, SLINGELANDUM, SPIEGELIUM, SCHIMMELPENNINCKIUM. Intelligebant prudentissimi viri, illa esse studia, quibus animus optime praeparetur et reficiatur, ut ad indoles hominum et agendi consilia perspicienda alacrior exsurgat, et mens acutius cernat.

Quae cum ita sint, mihi quidem illam opinionem nunquam ex animo evelli patiar, nulla re magis quam veterum literarum reliquiis diligenter excutiendis augeri atque firmari illam acute cernendi et subtiliter judicandi facultatem, quam in Historiae studio principatum obtinere oportet.

Ostendimus, A. A. ostendere utique conati sumus, adversus eorum, qui historice scripserunt, errores aut fallacias, egregium comparari praesidium ex illo Philologiae officio, quod interpretatione constat. Sed demus hoc paulisper et concedamus, posse aliquem exsistere, qui literarum rudis et incuriosus ad eam cognitionem prevenerit, ut omnem Historiae materiem complectatur, totamque illam rerum omni memoria gestarum scenam, luce veritatis collustratam, plane ac clare contempletur. Quem autem fructum inde capiet? eum, opinor, quem qui Aegyptiacae antiquitatis reliquias in Museis congestas contemplantur plerique. Mirabundi et hianti ore circumspectant hi canina ista et lupina et accipitrum capita humanis aptata figuris, et scarabaeos, et ibes, et aspidas, et formosas mulieres in leonum corpora desinentes; spectant ea, et mirantur, et delectantur, neque quidquam intelligunt: clavem enim non nacti sunt, qua penetralia recludantur veterum Aegyptiorum sapientiae.

Haud aliter qui res, ubivis gentium pace belloque gestas, in Historiae monumentis depictas animo intueatur, qui omnium populorum dominatores, lupos istos et accipitres et crocodilos, et vero etiam fideles ovium custodes ac generosos amabili vultu leones, ordine recensuerit, neque interiora vetustatis penetralia introspexerit, is quidem scientiae et admirationis fructum inde capiet, sed Historiam didicerit magis ut sciret, quam ut uteretur. Imo vero, si quis testem temporum ac nunciam vetustatis, eandem vitae magistram sibi esse cupiat, oportet eum ad causarum contemplationem animum revocare et

saeculorum ordinem ita explicare, ut duo haec appareant omnium rerum humanarum momenta et quasi capita: Divina procuratio et actio humana. Quod quomodo intelligam, paucis explicandum.

Est magnum hoc et admirabile, summi Numinis inenarrabilem sapientiam in populorum Historia vestigiis persequi et porrecto, ut ita dixerim, digito monstrare; quem locum ad Theologorum scholas et conciones totum relegare, id vero est Historiam praecipua illa laude privare, quam luculenta oratione apud nos quondam celebravit BORGERUS, quaque jam antiquitus ornavit eam DIODORUS SICULUS, in libri sui exordio scribens, Historiam esse Providentiae Divinae administram.

Verum enimvero idcircone generis humani historiam non aliam esse censeamus, quam quo nomine Naturalem Historiam esse dicimus? Num eadem lege populos ad occasum vergere statuemus, qua suo pondere lapides deorsum feruntur? aut truncos nos ac stipites faciemus aut pecudum similes, quae a naturae curriculo nunquam deflectunt? Admirabilis certe videtur apum intelligentia, quarum operas et universam quasi πολιτείαν egregiis versibus ita tamen exposuit VIRGILIUS, ut appareat, per omnia saecula eodem eas spatio decurrere. At longe alia est generis humani natura, in quo per varias aetates summa est sententiarum et consiliorum discrepantia, quae omnia persequi quam vim habuerint ad res vel bene vel male gerendas, altera est quam suscipere debet Historiae studiosus provincia. Utrumque autem ita conjungere, ut tum Divinae gubernationis vis appareat, tum humanarum actionum ratio, id vero est Historiam facere ut pietatis et sanctitatis, ita industriae et bonorum consiliorum praeceptricem.

Atqui duplex hoc eorum qui Historiam excolunt munus, quo sublimius et utilius vix quidquam excogitari potest — alii quid sentiant ipsi viderint — mihi quidem videtur sine literarum studiis haud quaquam posse expleri. Etenim si in re divina licet exili exemplo uti, quemadmodum in tragoedia poëtae artificium non tam ipso exitu argumenti cernitur, quam quo modo uniuscujusque personae moribus atque consiliis usus sit, ut fabulae nodum sine machinis ad eventum expediret: ita in magnifico illo rerum humanarum spectaculo, summi Moderatoris providentia tanto illustrius elucebit, quanto melius intellexerimus, quomodo ea, quibus populorum fata impleta sunt, per omnes eorum et cogitandi et agendi vias praeparata et ad exitum perducta

sint. Undenam autem veniet nobis istiusmodi intelligentia? Non enim, quemadmodum civitatum conversiones, ita morum quoque et cogitationum sententiarumque agitationes, magnis rerum commotionibus distinctae in conspicuis Historiae monumentis cernuntur. Quodnam igitur doctrinae genus reconditum illum Divinae gubernationis et actionum humanarum cursum aperiet? cujusnam disciplinae ministerio introspiciemus illa, primo adspectu levia, ex quibus magnarum rerum motus oriuntur? Literarum, literarum, inquam, disciplina. Nullum enim opus, quod literis et ingenio continetur, in lucem prodire potest, quin quod populus agitet in eo vestigium sui ponat et monumenta relinquat. Literis uniuscujusque populi linguam, et poësin, et sacra, et leges, et instituta, et omnino statum moralem, civilem, physicum cognoscimus. Literae sunt, in quibus spirat populi ingenium, et propemodum loquitur nobiscum. Quare haud absurdam hanc sententiam ponere mihi videor: quo quisque melior est poëtarum, philosophorum et oratorum qui apud quemque populum floruerunt interpres, eo fidelior erit ejus historiae explanator.

Sed evehamus orationem ex disserendi angustiis in ipsum Historiae theatrum, et exemplis agamus. Spectaculum est dignum observatione omnium, quibus curae est sua patria, et utilissimum ad civilem prudentiam, Atheniensium contemplari civitatem, quo tempore invalescente Macedonum potentia labefactati, ab incredibili virtutum victoriarumque gloria Graeci descenderunt. Quae populi inconstantia et temerariae plebis fluctuatio! quanta concionatorum popularium maledicentia et impudentia, libertatem, libertatem clamitantium, ut ipsi dominentur. Undenam ista avitae virtutis oblivio? quae causae fractae a PHILIPPO Macedone libertatis Graecorum? Si quaerimus, PLATONEM aperiamus. Philosophus exponet nobis ista civitatis Atheniensium vitia, vanitatem et inanem scientiae jactantiam, disputandi libidine omne veri ac falsi judicium sublatum, reipublicae capessendae furorem omnibus communem et turpem lucri cupidinem. Horum omnium autem vividam si vis et crudam, ut ita dixerim, imaginem contemplari, ARISTOPHANIS eamus spectatum comoedias. In his Atheniensium fatuitatem, CLEONUM similiumque machinationes, potentiorum invidiam et contentiones, depravatam morum disciplinam poëta ita expressit, ut ARISTOPHANEM rite posse interpretari, id fere sit liberae, Atheniensium dicam an nullius non, civitatis occasum per causas exponere posse. Denique vero DEMOSTHENEM audiamus tonantem et qui auro venderent

patriam, orationis fulmine tremefacientem: — sed quid ego ulterius haec urgeo? quantum enim valeat oratorum Atticorum lectio, ne Grammaticos dicam et Lexicographos et copiam inscriptionum, quantum valeant haec omnia ad rerum Graecarum et temporum illorum cognitionem, nemo est vel mediocriter antiquitatis gnarus, qui ignoret.

Romanae autem Historiae haud diversa est ratio. Quod si enim ex meditata et continua lectione cujusvis generis scriptorum, Romanarum rerum cognitioni a NIEBUHRIO nova quasi fundamenta posita videmus, nos sine illa literarum copia de sollertissimi viri opera judicabimus? Quid? memorabilem AUGUSTI aetatem et quae ab eo profecta est reipublicae Romanae in unius imperium conversionem, prius distincte perspectam nos habere censebimus, quam CICERONEM, HORATIUM, alios, studiis frequentavimus?

Quid dicam de Religione Christiana, quae postquam, a parvis principiis progressa, haud ita longo temporis intervallo per cunctas fere terras pomoeria protulit, alii ut rem miraculo eximant, ejus propagationi omnia secunda fuisse contendunt, adversa vero pleraque alii. Quid igitur si ipsi judicare volumus? naturam exploremus soli, in quo excrevit una omnium fructuosissima humanitati arbor; ingenii humani per totam antiquitatem cursum in literarum monumentis pervestigemus; veterum philosophorum placita, PLATONIS praesertim et ARISTOTELIS cognoscamus et utriusque philosophiae fata persequamur.

Progredimur ad recentiorum temporum historiam: cujus cum duo sint praecipua momenta, sacrorum Reformatio quae sexto decimo saeculo obtigit, et Francici Borbonidarum regni eversio, prior quidem illa animorum agitatio cum renatis in Italia veterum literarum studiis ita cohaeret, ut istius aevi ingenium plenius ac melius ex philologorum scriptis, quam ex omnibus Historiae monumentis percipere possimus; alteram autem tempestatem, quae exeunte proximo saeculo publicam Europae conditionem mutavit, a poëtis et cujuscunque generis scriptoribus praeparatam, ex horum scriptis optime illustrari et explicari, nemo, credo, est, qui ignoret.

Atque hic praesertim, ubi recentiora attigi tempora, de eo literarum officio dicendi locus est, quod contemplativam philosophiam complectitur, quam θεωρητικὴν vocamus. Hujus enim fundamentum cum sit Psychologia, quis non videt, quanta ejus sit et Historiae cognatio? Si quis enim in rerum historice proditarum sylva, eventorum causas et humanorum consiliorum fontem et

naturam velit intelligere, quid, quaeso, prius habeat, quam intimos animi recessus illorum hominum sibi aperire, quibus Deus concessit rerum humanarum momenta librare? Est autem haec Psychologiae ratio atque vis, ut fenestrae illius vice fungatur quam in corporis humani opificio MOMUS desiderabat, ad ea perspicienda, quae in pectoris latebris soleant abscondi. Neglexerant fere hanc rationem veteres Historici ante PLUTARCHUM. Hic vero primus Philosophiae et Historiae consociationem tam praeclare induxit, ut qui postea fortunae populorum moderatores fieri posse se praesentirent, quo melius hominum ingenia perspicerent atque regerent, PLUTARCHUM in primis legerent et in honore haberent WASHINGTONI non minus et FRANKLINI, libertatis populorum vindices, quam stupendae iste dominationis arbiter NAPOLEON.

Sed sentio, A. A. orationis meae vela contrahenda esse. Restat enim ut ostendam, quid sit, quo nostra aetas hanc Literarum Historiae adjungendarum commendationem potissimum requirat: atque hoc argumentum cum non modo pertineat ad eas doctrinas quae Historiae ope indigent, sed etiam ad omnem vitam communem, si quaecunque poteram dixissem, plura tamen superfutura essent; quare, ne diutius vos morer, non nisi pauca levi digito attingere liceat.

Primum igitur Theologiam excitabo. Ad hanc qui historicam rationem adhibuerunt, neglecta grammatica interpretatione, hi Christianam religionem fundamentis suis propemodum emoverunt. Quid igitur prudentiores Theologi? ab his eam demum Historicam Theologiam hodie commendari audimus, quae cum Sacri Codicis interpretatione et critica ratione conjuncta sit, ut ad judicandi virtutem quo quis excellentiorem doctrinam adjecerit, Romanorum Graecorumque tum linguis tum disciplinis acquisitam, eo certius per labyrinthum dogmatum et sententiarum, canonum conciliorum et decretalium, viam sit inventurus (*).

divinitus praeditum, quem videt, amore etiam complectatur. Hic est ille amor, cujus praecipua lineamenta, tam suaviter depinxit, qui coecum adversus Christianos odium cum tam exemplari in eos, charitate commutare, ab ipso Christo, didicit, Paulus apostolus. Hic est ille amor, quem idem sagacissimus judex indicavit tanquam normam, ad quam dirigendus est usus omnium facultatum animi bonorumque, quibus eum ditavit moralium donorum auctor supremus. Hic est ille amor, ex quo, ceu fonte perenni, omnium officiorum lubens studium profluit.

Et sic pervenio ad id, cujus minime quoque obliviscitur Christi doctrinam sequens homo literatus, peculiarem officiorum veluti campum, cuique literarum cultori, divinâ providentiâ esse apertum, in quo ingenii animique sui vires exerceat. Hunc vel ab ipsâ naturâ designari, vel variis vitae casibus intra certos limites contineri.

Haec peculiaria officia, in delectu scientiarum, quibus, prae caeteris se dedat, ac suscitandis praesertim his vel illis animi dotibus, inprimis spectanda esse judicat. Sic enim, sublimiore sensu, amore quoque Christiano homines eo melius complecti se posse statuit, si quae alias sine fructu nimis divagarentur literarum studia, suis cancellis circumscripta, pro occasione sibi datâ, suo more, in propriam quandam curam communis boni dirigeret ac conferret. Sui ipsius igitur, talibus studiis, perfectionem, cum aliorum commodis, felicitate ac salute, arctissime junctam esse, observat.

Verum enim vero non tantum his studiis literatis, sed et reliquis, quae ad bene beateque vivendum pertinent, perficere se ipsum, secundum regulam ab unico doctore divino JESU traditam, decere ejus discipulum, intime sentit. Neque igitur in literas ita incumbendum esse, ut, quae virtutis sint, plurima pessime caeteroquin negligantur. Bonis moribus non minus quam doctis laboribus dandam esse operam. Religionis, justitiae, temperantiae, castitatis, non minus quam politici vel ecclesiastici vel literarii cujusdam muneris officia, docto homini, esse curanda.

Videtis A. H. quam salutaris sit vis religionis Christianae, ad omnimodam integritatem animi nobilissimamque adeo eruditionem efficiendam, apud eos, qui, tam generosis principiis, ad omnia praeclara feruntur. Servatoris auctoritate summâ, quam nulla, vel maximorum virorum, aequiparat, inconcussâ fiduciâ, nixi unicique adeo hujus magistri ductum sequentes, ex sacrorum utriusque Foederis scriptorum limpido fonte, sapientiam hauriunt,

quâ apti fiant, ad totam vitam, etiam quatenus literis dedita est, secundum Dei voluntatem dirigendam.

Hâc sapientiâ talibusque principiis imbuti scientiarum cultores, an aliter fieri potest quin, continuis stimulis, magis magisque incitentur ad ingenii animique sui dotes gnaviter ac prudenter suscitandas atque excolendas, ut, indicato Dei consilio, secundum datam sibi occasionem, satisfacere queant?

In hoc exercitio omnem quidem ignaviam fugiunt nullique labori parcent, sed simul omnem evitant temeritatem pravamque ambitionem. Quid valeant, quid ferre recusent ingenii sui vires, modeste inquirunt, sapientissimi illius moniti: *nosce te ipsum*, bene memores. Etenim, quod omnium aetatum sapientes docuerunt, in cognitione sui esse fundamentnm felicitatis neque ullâ re in plura aut graviora mala prolabi hominem quam sui ignoratione, idem Christi doctrina, ubique, egregie inculeat. Speciatim quoque ad ingenii animique facultatum ac bonorum modestam existimationem accommodat eandem sententiam. Hinc illa effata, quibus Christiani admonentur ne supra modum sapiant, neque obliviscantur, non omnibus eadem, neque eodem modo, sed singulis varia, et unicuique suo modo, a Deo Christoque concessa esse mentis animique dona.

Hoc autem de sui cognitione monitum, ad evitandam, in doctrinarum studiis, non solum modo temeritatem, sed et pravam ambitionem et superbiam, in suum usum convertere oportere hodiernos Christianos, probe animadvertit justus talium effatorum interpres. Suis igitur donis contentus ea ad debitum usum excolere ac perficere mavult, quam alteri illius, propria, quibus se destitutum esse perspicit, invidere. Vel minima dona necessaria esse judicat. Nec quenquam despicit, quem carere videt illis, quae in se ipse detegit. Nec suorum ostentatione alios provocat sciens nihil se habere, quod non divinitus acceperit. Cum nobili vero humilitate ardentem animi fervorem conjungens sapientiae humanitatisque apud se repertas scintillas minime extinguit, sed indesinenter suscitat, atque adeo ad omnia praeclara, Divino adspirante numine, inflammatur.

Sed videndum porro est, quomodo Christianâ religione permoveantur literati homines, ut suâ mentis animique bona ita suscitata, ad normam institutionis magistri sui ac domini Christi, pie impendere studeant in Dei honorem.

Non adeo rebus terrenis sunt intenti sinceri Christiani, ut coelestium obliviscantur. Erga Patrem coelestem directa quoque officia observanda

esse, unde omnis animi nobilitas dependeat, unde omnigena virtus profluat, vividâ fide credunt. In coelum igitur evolant mentis alis Euangelii luce illustratae. Avide cognoscere student Patrem domini nostri Jesu Christi, prouti divina ejus majestas, ab hoc unico Ipsius filio, manifestata est, ut nunquam antea. Illum venerantur tamquam unicum Deum, non corporeum sed merum spiritum, hujus universi creatorem ac regem, omnipotentem, cuncta scientem, ubique praesentem ac perfectissimum, ex rebus creatis et Ipsius patefactione cognoscendum, non aliquo tantum loco sed ubique, non corporeis caerimoniis sed pio animo colendum. Dei imaginem, amabili gratiâ, sincerâque sanctitate plenam, ut in humanâ Servatoris naturâ splendidis radiis enitet, intime intuentur. Quam sic accepere, Dei notionem, in animo suo, assidue alunt. Huic notioni consentaneos animi sensus apud se fovent. In artibus ac scientiis licet maxime excellant, omnibus scientiis anteponunt eam, quam nec Graeci nec Romani philosophi, neque ullius gentis sapientes invenerunt, nullumque unquam humanum ingenium detegere potuisset, quae vero, ab ipsius Dei spiritu, per vates sacros, pedetentim patefacta, per CHRISTUM denique, plenâ in luce posita est. Scientiam dico rerum divinarum, ad sinceram resipiscentiam, ad bene beateque vivendi et moriendi artem, ad summam aeternamque felicitatem cognoscendam, miseris peccatoribus, quales omnes sumus, inprimis necessariam saluberrimamque.

Hâc scientiâ instructi in summam admirationem divinae sapientiae in eâ elucentis rapiuntur, caventque, ne suâ sapientiâ inflati hanc Dei sapientiam, alto supercilio, spernant atque irritam sibi reddant. Hâc scientiâ instructi non, scepticorum more, aeternis dubitationibus indulgent, sed Dei veracitatem honorant, firmâ fiduciâ amplectentes, quae mirifica quidem sed divinitus manifesto declarata esse, justo examine, comperiunt. Hâc scientiâ instructi, Dei sanctitatis, quae ne ullâ quidem maculâ obscuratur, cogitatione, ad vitiositatis suae justum sensum perveniunt, quo tanquam rei coram ipsius verendâ majestate se prosternunt, hominum laudationibus minime obcoecati. Sed simul, Divinâ clementiâ, in nullâ re adeo, quam in servatoris morte, conspicuâ, eriguntur, ad poenae remissionem, sectatoribus Christi promissam, summâ expectandam fiduciâ, quâ alacres redduntur ad consecrandum omne, quod in ipsis est, tam benigno paternoque judici, qui non cupit peccatoris perniciem sed resipiscentiam. Hâc cogitatione confirmati non despondent animum, quod pravis cupiditatibus et affectibus adhuc obnoxios se sentiunt,

sed ope Divinâ freti, fortiter iis resistunt. Si labuntur, continuo resurgunt. Optimam sapientiam judicant, se ipsos vincere. Hanc sapientiam nullibi melius, quam in servatoris scholâ addisci statuunt. Ejus veluti manu duci se sinunt. Huic, societatis ipsi addictae domino, cui omnis in coelo et terrâ potestas divinitus data est, vitam suam ad salutiferam virtutem dirigendam, mores suos funditus emendandos committunt. Sic securi tendunt ad coelestem patriam. Sic pravam suam indolem assidue magis exuunt, nobilioremque veluti induunt, ad ipsius sanctitatis in Dei filio splendentis perfectam imaginem, veluti a Dei spiritu, reformati, immo potius regenerati. Immortalitatis certâ spe nutriti, ipsius servatoris mortuos suscitantis atque e mortuis suscitati exemplum ante oculos habentes, non, ut veteres illi Graeci et Romani, de vitâ post mortem expectandâ, praeclara multa suspicantur magis, quam firmiter credunt. Sed cum illo, qui mortem vicit atque aeternae vitae beatissimae auctorem clarissime se demonstravit, Ipsius amicos, postquam hic defuncti fuerint, coelesti gaudio fruituros, novaque corpora, coelicolis apta, Ipsius illustri similia accepturos esse, ab ipso edocti, ejus amicitiam, more Ipsi gerendo, sibi conciliare, ejus amabili indoli conformes fieri, atque isti adeo vitae se praeparare, omnibus animi viribus, hic annituntur.

Sentitis A. H. hanc vim, hunc effectum habet religio Christiana. Sic, fide Christo habendâ, formantur nobiliores quidam virtutis simul ac doctrinae cultores, qui, non verbis tantum sed toto animo, creatoris sui eximias virtutes praedicant ac manifestant, quique eos educavit, patri coelesti, summo adeo honori sunt. Hic est fructus sapientiae et generositatis unici illius ducis, cui similem mundus nunquam vidit, qui coelitus descendit, ut ipsam virtutem coelestis originis, humanâ naturâ intuendam praeberet integram; qui reliquis sui meritis stupendis et hoc addidit, quod, sui ipsius sacrificio, pravi in mundo spiritus estiferam vim penitus frangeret.

O quam praeclara est hujus salutiferi ducis institutio moralis! Quam accommodata ad usus hominum peccatorum a peccatis liberandorum! Non ab homine poscit, quae hominum vires superant. Non Stoicam desiderat ἀπαθειαν seu affectuum oppressionem, humanae naturae contrariam. Justum tamen praescribit affectibus modum. Nobilem tamen fortitudinem, emendandis vitiis probitatisque studio insignem, excitat. Hominum nimis praeclare de se

ipsis suâque virtute sentientium superbiam humiliat, at humanae naturae veram dignitatem cum modestiâ et sui ipsius cognitione junctam restituere et augere studet. Vitae jucunditati et gaudio consulit summo, sed ex grato erga Deum animo, veluti purissimo fonte, exquisitissimam voluptatem derivat, insipientiam, intemperantiam, dissolutos mores condemnat. Quidquid impietatis, injustitiae, criminis vitiive nomen meretur, fugiendum et detestandum esse jubet; nullum tamen peccatorem hominum misericordiâ excludit, quique aliquem a virtutis tramite aberrantem in rectam viam reducit, eum gratissimum Deo sanctisque ejus angelis spectaculum praebere, declarat. Omnino non iniquos, non nimis severos alienorum vitiorum censores format, sed aequos ac moderatos, suae vitiositatis, humanaeque imbecillitatis, variorumque labendi periculorum memores. Quum ex amore illo erga Deum humanaeque naturae socios omnium officiorum ac benefaciendi studium, veluti sponte, provenire statuat, quam suavibus pietatis, humanitatis, mansuetudinis, benignitatis, liberalitatis ac misericordiae sensibus docilem animum complet. Vel illud: suum cuique tribuere, neminem laedere, quod justitiae est, non minus amoris esse, observat doctrina Christiana. Tam amabilem characterem, duce Christo, accipit virtutis cultura. Ad quantam generositatem discipulos suos extollit sublimis hic magister, quum vel hostes et oppressores crudelissimos amore complectendos, beneficiis sibi devinciendos, fausta iis apprecanda esse, praecipiat; nec tantum praecipiat, sed noto illo: *Pater! ignosce illis, nam nesciunt quid faciant*, hujus amoris pulchritudinem, exemplo suo, comprobet.

Quorsum evaderem, A. Honoratissimi! si ita pergere vellem? Digito tamen indicanda erat cognita illa vobis Christianae institutionis praestantia. Ostendere enim volui, quam uberes sapientiae atque humanitatis fructus necessario ferant illi, quorum ingenia non tantum literis exculta, sed et simul animi, talibus principiis ad optimos, quorum capax est natura nostra, mores sint conformati atque eruditi.

Ubi est doctrina moralis huic Christianae similis? Est ne alia vel summorum ingeniorum institutio, quae in animi humani morbos tam intime penetrat atque iis curandis tam efficacia remedia praescribit? Est ne alia, quae adeo nihil, nisi quod vere pium, honestum ac decorum, sanae rationi consentaneum, hodierno statui generis humani accommodatum est, praecipit?

Est ne alia, quae ad omnes gentes atque homines, amico inter se et cum Deo vinculo, copulandos tam apta est? Quae utrique sexui, omni aetati ac conditioni hominum, in rebus prosperis et adversis, adeo inservit? Cedo mihi aliam, quae tam sanctum, tam amabile, tam illustre ipsius Dei veri exemplar, ad quod se conformet humana virtus, exhibet. Quae potentioribus momentis ad eam virtutem pietatemque sectandam incitat. Quae tam valido praesidio hoc virtutis studium munit, ad vincenda quaecunque obstacula, Divinae opis persuasione, animum cum turbulentis motibus luctantem adeo confirmat. Profecto nec Divina lex seu morum institutio Mosaica, sanctissima illa ac sapientissima, sed rudimenta tantum religionis, ad antiquiorem mundi statum pertinentia continens, uniusque populi, veteris illius Israelitici, usibus accommodata, eosdem egregios effectus producere potuit. Sed quid loquor de lege? Non lex tantum est seu praeceptum morale, quo frangitur vis peccati, sed ipse Dei filius a patre missus humanâque naturâ indutus, ut homines peccatores cum Deo reconciliaret, Euangelio, quod, Ipsius nomine, mundo annuntiatur, hanc efficaciam, spiritu suo meritisque, addidit additque, quâ prosternitur omnis superbia Ipsi renitens atque ad generosum virtutis studium alacres redduntur, quicunque in Ipso fiduciam ponunt.

Quae quum ita sint, nullâ aliâ quam Christianâ religione, tam potenter quoque, incitantur artibus ac doctrinis exculta nobiliora ingenia, ut sua mentis animique bona pie impendere studeant in Dei honorem. Justae illae de Deo cogitationes, quas animo fovent, Deoque digni illi sensus, quos corde suo extingui non sinunt, peculiarem veluti notam ac characterem imprimunt toti eorum vivendi rationi, consuetudini, studiis doctisque laboribus. Non ambitioni suae, sed Christo vivunt, non arbitrium suum, sed Christum sequuntur, non veritati repugnant, sed a Christo in veritatem duci se sinunt. Quidquid cogitent, quidquid moliantur, quidquid agant, Christo placere desiderant, ut sic animo ipsorum ac corpore, vitâ ac morte, optime celebretur Dei gratia, per Christum, ipsis praestita.

Quorum sic, principiis Christianae religionis, conformatus est animus ad sinceram pietatem erga Patrem Coelestem totaque vita tendit in ejus honorem, homines docti, quanto ornamento erunt orbi erudito! quam eximiâ eruditione longe lateque influent in salutem universae societatis humanae! Fieri enim aliter nequit, quin ardenti impetu ferantur ad praeclara studia veri, justi

ac boni, generosi ac decori, utilis, jucundi atque amabilis. Hoc paucis *tandem* adhuc exponendum erit.

Quam arcto vinculo amor erga Deum et homines, pietatis erga perfectissimum naturae nostrae auctorem et humanitatis officia cohaereant, ex iis, quae diximus, jam apparet. Profecto nemo Deum honorat nisi et virtuti qualicunque et honestati studeat. Hoc docuit Servator; plenâ persuasione perspicit ab Ipso illustrata ratio. O utinam nunquam tamen inseparabilia haec separari posse, putassent mortales! Non ita putant nobiliora ingenia *Jesu* disciplinâ subacta. Deum amantes virtutes ejus amant, iisque, pro viribus suis, imitandis, gratum, pro beneficiis acceptis, animum referre Ipsi, generoso ardore, conantur. Hinc, quum Deus tenerrimum amorem, quo complectitur genus humanum, beneficis operibus sapientique regimine demonstret, et ipsi sincerum erga naturae suae socios amorem, qualem animo fovent, factis ac laboribus, quâvis ratione, exprimere connituntur. Animi igitur facultatibus ac doctrinâ ne abutantur in perniciem, sed ut utantur in salutem generis humani, sedulo curant. Avide arripiunt quidquid ad veram vitae sapientiam pertineat, undecunque tandem, sive ex sacris, sive ex profanis fontibus fluxerit. Quapropter et Classicis Graecorum et Romanorum monumentis tam multa, tam egregia hunc in usum continentibus, quaeque ingenio varie excolendo, pulchri sensui eximie acuendo, solidioris doctrinae studiis adjuvandis, tam exemplari modo praeterea inserviunt, diligenter uti se oportere semper arbitrati sunt prudentiores viri docti, Christo dediti; quales HUGONEM GROTIUM, et JOANNEM AUGUSTUM ERNESTIUM, memorasse modo sufficit, quorum hic fuit aeque magnus literator ac Theologus, ille, ex immensâ suâ Graecae et Romanae literaturae copiâ, scite multa protulit, ad egregias suas in sacros libros annotationes passim illustrandas. Cavendum modo statuerunt, ne nimium profanorum auctoritati tribueretur ut, ne errores eorum pro veritate, vitia pro virtute haberentur, sive, ut est in proverbio: *Umbram pro Junone* amplecterentur coeci eorum asseclae.

Opera Divina, quae hoc mundo spectabili continentur, attentâ mente perlustrant historiae naturalis ipsiusque rerum naturae scrutatores, quorum pectus religionis Christianae amor inflammavit; sed cum tam certos coeli motus, tam ratos astrorum ordines omniaque adeo inter se connexa et apta videant, auctoris non obliviscuntur Divini, suâ ratione ac potentiâ, quotidie

adhuc, haec ita conservantis et gubernantis. Terram conspicientes, solidam, globosam, floribus, herbis, arboribus, frugibus consitam, in his mirantur multiplicem fabricam, pulchritudinem, atque usum, simul vero, cum veneratione, observant ac celebrant sublime ingenium, exquisitum pulchri sensum profundam sapientiam ac beneficam indolem ejus, qui hoc plantarum regnum sic animat. Quid, si in intima terrae viscera, mentis acie, penetrant ibique aurum, argentum, caetera metalla, sed et aliarum rerum memorabilium et utilium absconditum veluti mundum detegunt? Si in ima maria terrae circumfusa, eam secantia flumina eorumque thesauros, imaginatione, descendunt? Si aquas et terram inhabitantia animalia, majora minora que, tam diversae formae, oeconomiae et utilitatis; si aërem et eum pervolantes volucres, variarum venustatem, dulcesque avium cantus cousiderant? num, in his aliisque creatis, naturae instinctum et vires, summâ curâ, indagent, summis laudibus efferant, invisibilem vero naturae creatorem non ubique veluti praesentem cernant sapienterque has vires sustentantem ac moderantem, secundum Oraculorum Divinorum disertum testimonium? Si tandem ad hujus terrae a Deo constitutum veluti dominum oculos convertunt eruditi illi, Christiano nomine digni, eumque mentis animique dotibus adeo praevalere vident reliquis animantibus, quam avide arripient, atque in suum usum convertent, quidquid de hominis ad Dei imaginem creati ortu, et de generis humani morali quidem depravatione, sed per Christum divinitus effectâ reformatione, ex puris patefactionis Divinae fontibus, haurire possunt! Quam sollicite cavebunt ne limpidos hos fontes, sibi aliisque praecludant vel turbent! Ex his enim veritatem derivari, cujus luce, hujus terrae incolis, ad beatiorem, in alio mundo post hunc futuro, expectandam vitam, iter monstretur, ipsis persuasum est.

Sed et omnigenis scientiarum cultoribus, religione Christianâ vere eruditis, veritatis qualiscunque jura inprimis cordi sunt; quia, non nisi illâ cognitâ atque inventâ, cujusque rei indoles satis cognosci, quid Deo placeat, quid justum sit, honestum ac decorum, quid utile ac jucundum, firmo fundamento, statui potest; erroribusque contra, omnia sursum, deorsum volvuntur. Non igitur, nisi bene exploratâ re, judicare, de rebus gravioribus, assuescunt. In variis artibus ac doctrinis, quae propria sit veri detegendi ratio, magnorum in iis excellentium virorum exemplis intuendis, praesertim, addiscunt.

Caeterum, usu atque experientiâ, suum veritatis sensum indesinenter acuunt. In eo autem peculiaris vis optimae religionis apud eos cernitur, quod pravos animi motus mentem perturbantes ac veritatis agnitionem vehementer impedientes, subito atque efficacissime, sedat, domat, emendat. Cum veritatis studio charitatem amice conjungit; omnem in eo vehementiam, rixas, altercationes condemnat; modestiam maxime alit eadem religio. Judicium de rebus, quae captum humani ingenii superant, soli Deo relinquendum statuit. Omnem reprimit arrogantiam, quâ quis frustra in talium rerum interiorem rationem penetrare velit. Quid Divinae auctoritati, quid humanae rationi tribuendum, qui modus in judicando a nobis tenendus, quae norma judicio praescribenda; verbo, qui rectus ingenii humani usus sit, non sterilibus ratiociniis, sed sapientissimis monitis, disertissime, passim ostendunt hujus religionis monumenta sacra.

Si, quae scriptis sacris, tam Veteris quam Novi Foederis, datâ occasione vel de industriâ, observantur et inculcantur, egregia multa ad hanc rem pertinentia bene animadvertuntur docilique animo custodiuntur, tum demum prospere evitantur multi periculosi errorum scopuli, quibus, in suam aliorumque perniciem, doctissimi viri saepe illiduntur.

Sublime carmen Jobaeum quam vivide in scenam inducit variarum personarum inanes conatus penetrandi in abdita providentiae Divinae consilia; ipsiusque Jobi, suae tenuitatis non semper satis memoris, in reprehendendo Dei regimine, imprudentiam! Quam magnifico modo, quam gravi oraculo, porro ibi audimus Divinam majestatem vanos miseri censores ad tribunal suum vocantem eorumque arrogans stultumque, de supremi numinis agendi ratione, judicium condemnantem; simulvero exprobrantem etiam Iobo, quod insanis verbis Divinum consilium obscuraret!

Qui talia legit et, normam institutionis Christianae sequens, vetus oraculum, in suum usum, ad erudiendum animum, recte convertit, an pronus erit ad rejicienda mirifica Dei prodigia, sacris scriptis narrata, quod a consueto rerum naturaeque ordine, ipsi cognito, recedunt? Quod ipse homo Divinae potentiae vim non capit? An, cum nonnullis, quales antea fuere et proh dolor! etiam nunc, praesertim in Germaniâ, sunt, viris literatis, immo caeteroquin doctissimis, malit simplicem harum narrationum sensum misere contorquere, ut ad suae rationis modulum conformentur miracula illa Divina, quam

diserto de iis testimonio saepe probato sapienter credere? Vel, an tam contortae interpretationis fallaciam deprehendens ad aliam potius extremitatem inclinabit, ut artificiose in mythos seu fabellas, nescio quas, ore vulgi exornatas, pro lubitu, refingat, cum antiquiorem historiam sacram, tum memorabilia JESU, ab Euangelistis tradita, quorum historica fides tam firmis fundamentis nititur? Ad tantam insaniam non perveniunt viri sacris literis vere eruditi, qui sentiunt, quam immenso modo, Divinae majestatis consilia atque opera captum humani ingenii superent. Hi non offenduntur mirabilibus illis, quae patefactio Divina, a fidis historicis tradita, manifesto continet. Contra vero, in mirandis illis potentiae et sapientiae Divinae signis, coelestem religionis suae originem conspicuam esse, plenâ fiduciâ, intimâ cum Dei veneratione, fatentur.

Salubrem omnino effectum ad animum veritatis luci aperiendum variisque erroribus liberandum et in sapientiae cum pietate et virtute conjunctae studio perficiendum, variis modis, habent, apud ingenuos etiam doctrinarum cultores, gravia vatum sacrorum monita atque oracula. Quam uberem horum copiam praebent MOSIS, caeterorum Veteris Foederis scriptorum orationes, carmina, vaticinia. Inprimis vero hic memoranda sunt Salomonea scripta moralia, quorum illud, quod Proverbiorum titulo insignitur, quam multiplicem usum habeat, ad veram vitae sapientiam, cujuscunque generis ac conditionis hominibus, summis et infimis, doctis et indoctis, Christianis aeque ac Judaeis, variis in casibus, veluti divinitus inspirandam, cum uno ore confitentur periti judices, tum ipsi, ut spero, experti sumus. O felicem, quam nos incolimus, patriam, ubi, post immortalem ALBERTI SCHULTENSII operam, quâ, pro stupendâ suâ doctrinâ, adhibitâ face linguae Arabicae, hujus libri sententiosi atque eloquentissimi thesauros in lucem produxit, hujus laboris fructus, per eximia aliorum interpretum scripta, communem in usum expositi sunt. Hos inter MUNTINGHIUS et, cujus lumen, eheu! jam quoque extinctum est, PALMIUS, suo exemplo ostenderunt, quantum lucis Ethica Christiana et humanitatis studia, ex doctâ, sagaci et eleganti tractatione hujus monumenti Hebraei capere possint.

Sed plus quam SALOMO praestitit, qui SALOMONE tanto major est; Dei filius. Multa de ejus institutione jam dixi, sed innumera dicenda restant. Sapientiae fuit auctor, cujus ope indigent vel summa ingenia humana, ut ex erroribus

emergant et ad summum perfectionis, cujus capaces sint, gradum perveniant.

Religionis fuit stator, sed religionis, quae in omnia humani generis molimina saluberrime influit. Funditus ex animis ipsum auscultantibus, orationibus gravissimis et suavissimis, exstirpat omnia, quibus veritatis et virtutis vis obtundi solet, vitia. Divinâ vero, quâ pollet, auctoritate unicâ, ad nobilissimum quemque animi ardorem, auditores secum abripit. Sectae philosophicae non fuit conditor. Sed qui principiis ab Ipso positis innituntur, omnium optime, de rebus Divinis et humanis, philosophari solent. Oratoriam artem non professus est, sed exempla dedit eloquentiae, ex ipsâ praestantissimâ naturâ haustae et expressae, ex circum jacentibus agris, liliis campi, avibus coelorum, horrendis tempestatibus, amore paterno, aliisque rebus sensus jucunde vel ingrate afficientibus, ad varie commovendum et illustrandum animum, aptissimas imagines desumentis. Erudito, qui dicitur, orbi non quidem peculiariter inservit Euangelium, quin potius simplices atque egenos erudire, honori sibi duxerunt JESUS legatique ejus. Doctos tamen etiam, salutaribus suis radiis, complectitur lux illa mundi. Cujus cunque stultitiae tenebras dissipat, solidioris nobiliorisque doctrinae cultum fovet. In humanas artes scientiasque intime penetrat. Falluntur, qui illarum cultoribus inimicam esse Christianam religionem putent; qui, quo quis indoctior sit, eo meliorem Christianum eum esse posse, opinentur. Etenim non venit Servator, ut apud Judaeorum magistros doctrinarum studium impediret, sed ut falsam futilemque eorum doctrinam, quâ legis Mosaicae vis infringebatur, enervaret, Divinorumque librorum sensum, doctius atque eruditius aperire eos doceret. Non venit, ut ignorantem plebem noxiis erroribus immersam relinqueret, sed ut lumen esset gentes populumque Israëliticum illustrans. Non per mundum emisit legatos suos, ut inscitiae, superstitionis et falsitatis, sed ut veritatis et sinceritatis regnum fundaret. Ostenderunt illi Euangelii praecones, publice ac privatim, pro tribunali Judaeo et Romano, tam in foro quam in Areopago Atheniensi, ubicunque peregrinabantur, doctis atque indoctis, principibus et regibus, quantâ pollerent, ad rem suam optime agendam, doctrinâ, eruditione, sagaciâ et eloquentiâ. Ostendit hoc ille, cujus, in mortis periculo, suam Christique causam, pro synedrio jam jam defensuri, ut Angeli, splendebat vultus, veritatis testis STEPHANUS. Hic, cujus sapientiae sublimique, quo loquebatur, spiritui nemo adversariorum erat par, in erudi-

tissimâ illâ ac disertissimâ, quam tunc habuit, oratione, simul ostendit, quanti faceret universam sapientiam Aegyptiacam, quâ, ad tantam humanitatem, eruditus est, antequam legationem Divinam accepit, peritissimus ille legum Divinarum interpres ac dux Israëliticus, idemque summus historicus, orator ac poëta, MOSES.

Non provocat istius aevi sapientes apostolus PAULUS, quod despicit eorum sapientiae studium literarumque culturam, sed ut indicet, hanc non suffecisse, ad inveniendam talem vitae sapientiam, qualis a Deo, per Servatorem, ipsi erat patefacta. Copiosâ ipse doctrinâ magnoque ingenio, profundam hanc sapientiam rerumque antea nunquam auditarum scientiam, Graecorum et Barbarorum, eruditorum et rudium simul usibus accommodavit. Non invehit in veri nominis philosophiam seu avidam veritatis investigationem, sano rationis usu, experientiae ope, vel debitis adhibitis cognitionis fontibus, de rebus corporeis et incorporeis, divinis et humanis, rite et fructuose disserentem. Sed eam reprehendit immerito sic dictam, seu vanam de religione disputationem, quae, alienis placitis, Christi doctrinam corrumpebat. Eam reprobat Theologicae scientiae inanem ostentationem, quae inutilibus quaestionibus sanam mentem pervertebat; res, quae cognosci nequeunt, frustra penetrare conabatur; logomachiis rixas ac contentiones concitabat; nugosis fabellis, Rabbinico more, oblectabatur. Talibus tantum, veritati veraeque eruditioni perniciosissimis studiis resistit magnus apostolus. Non parvi aestimat verissima illa Spiritus Divini dona, tunc temporis tam large inter mortales distributa; sed, quem egregium usum habeant tales mentis animique dotes, qui sit earum abusus, monitis, etiam nostro aevo utilissimis, ingeniose, erudite ac sapienter demonstrat.

An dubitemus adhuc A. H. utrum umbraticos, an generosissimos cujuscunque ingenuae scientiae cultores ac doctores formet, talia praecepta auscultans, talia exempla intuens, religio Christiana?

Profecto, si qui unquam eruditi, illi, qui hujus religionis impulsum sequuntur, sua ingenii animique bona, gnaviter, ingenue ac constanter impendunt, ad provinciam sibi demandatam, quantum possunt, bene, strenue sapienterque gerendam. Qui gubernant rempublicam, fideli ejus administratione. Qui jus dicunt, integre vindicandâ justitiâ. Causarum patroni, iis sincere agendis. Religionis doctores, ejus causâ rite tuendâ. Medici, arte suâ sollicite exercendâ. Philosophi, literatores, caeteri eruditi, veritate propagandâ, nobili

eruditione atque humanitate promovendâ. Iuventutis duces, salubri institutione moribusque exemplaribus illi praelucendo.

Plura dicenda haberem. Sed, pro temporis angustiâ, jam satis, ni fallor, depinxi praecipua lineamenta amabilis characteris eruditorum Christianorum, qui, in suscitandis ingenii animique bonis, iisque continuo sincerae pietatis et humanitatis studio impendendis, servatoris institutione et exemplo ducuntur. Simul autem, jam satis demonstrasse mihi videor religionis Christianae unicam vim, quâ, ad talem tantamque, tam integram, tam praeclaram, tam uberem eruditionem tendunt.

Hâc eruditione, post apostolorum tempora, adeo excelluerunt CHRYSOSTOMI, LACTANTII, AUGUSTINI, illisque similia Coetus Christiani lumina, seculi quidem sui tenebris paulum obscurata, attamen, immensâ suâ doctrinâ magnâque eloquentiâ, tantam nominis claritatem merito adepta.

Hâc eruditione, ad instauranda, medio aevo tam misere delapsa, humaniorum artium ac literarum et philosophiae non solum sed et purae religionis et bonorum morum studia, tantum contulerunt PETRARCHAE, WICLEFII, BACONES VERULAMII, ERASMI, caetera, quae *domus Florentina*, HEGIIQUE Schola, ex hac urbe, protulit, summa ingenia.

Hujus eruditionis fructus, per LÜTHEROS, MELANCHTONOS, ZWINGLIOS, CALVINOS, similesque viros egregios, in reformationem misere depravati status coetus Christiani, uberrime deinceps redundarunt.

Quam numerosa hinc extitit eruditorum Christianorum propago, quae ingenuis doctrinarum studiis quibuscunque pulchriorem ac laetiorem, in dies, faciem dedit, pietateque simul meritisque de republicâ Christianâ inclaruit. Ex hac unum ad huc: ISACUM NEWTONUM recenseam, cujus philosophiae praestantiam inde effecerunt Angli, quod clarissimi ejus amatores simul erant religionis amici, eximia pietatis ac virtutis exempla.

Quam praeclarae et fructuosissimae, ex talibus viris constantes, ubique exortae sunt eruditorum societates et Academiae! Quam innumera variique generis instituta salutaria eruditio illa Christiana produxit! Quam magna barbaries in legibus, in populorum publico, religioso et domestico statu, eâdem eruditione, jam evanuit!

Singula indicare non vacat. Sed nec opus est. Coram eruditis Christianis loquor. Vos igitur, ex vestrae doctrinae copiâ, reliquâ mente suppleatis

et judicetis, quam latissime et saluberrime, in orbem eruditum quoque influat illa, cujus amor pectus vestrum inflammavit, religio.

Sane, opportuno tempore, solis instar, ex Oriente adscendit salutaris illa mundi lux, ignorantiae et superstitionis tenebras dissipans. Per seculorum decursum, in eruditiorum animis ipsi apertis, jam fovit salutiferae sapientiae optimum illud studium, rudioribus erudiendis, infinitâ varietate, inserviens. Artes et sientias efflorescere facit; nescios etiam et invitos, radiis suis complectitur. Ejus splendorem nos intuemur! Suavi hâc luce nos oblectamur! Deo, in sempiternum, sint laudes et gratiae.

Transeo ad ea, quae hujus diei solennitas postulat.

Commemoranda mihi sunt Athenaei fata, ab eo inde tempore, quo novum hoc auditorium Musis dicatum est ab alio Rectore magnifico, qui tunc simul hoc regimen deposuit.

In rebus laetis, in primis, recensenda est illius festi jucunditas. Quam laetus fuit effectus Curatorum sapientiae, quâ curarunt, ut tota civitas festi fructum percipere posset. Ad audiendam orationem, quae, eum in finem, patriâ linguâ, tunc habebatur a conjunctissimo meo collegâ VAN TWIST, frequentes affluxerunt cujuscunque generis homines, doctiores et indoctiores. Pulcherrimumque hoc doctrinae sacrarium pulchrior etiam ornavit nobilium feminarum corona. Coram tali conventu, generoso tunc ardore, scientiarum decus tueri conatus est orator. Hunc suavi carmine excepit poëta.

Memorabilia tunc dicta, jam literis consignata, et in posterum suis fructibus haud careant! — Minime quoque in oblivionem abeat decora ratio, quâ Athenaei cives, illi festivitati, haud leve ornamentum conciliarunt, publicumque gaudium, adhibitâ musicorum harmoniâ, auxerunt juvenili hilaritate votisque suo studio dignis.

Athenaei regimen, illo die festo, traditum erat viro clarissimo HUGONI BEYERMANNO J. U. Doctori, Literarum Belgicarum et Historiae patriae Professori. Susceptum vero, per statum temporis spatium, continuare nequivit. Quapropter, in hujus regiminis vicem, ad ejus temporis finem usque, succedere, mihi tamquam ordine seniori, ab hujus urbis magistratu, secundum legem, demandatum est. Etenim Beyermannum, virum, ut nostis, ingenio, sagaciâ,

copiosâ doctrinâ, patriaeque inprimis literaturae et historiae profundâ cognitione eminentem, qui, per octo annos, in hâc Musarum sede, jucundis suis lectionibus Academicis, animos juvenum literis deditorum, ad se allexerat, iisque egregium ducem se praebuerat, Amstelodamensis senatus in suae urbis Athenaeum, ad fungendum eodem, quo Daventriae fungebatur, munere, vocavit. Vocatus oblatum munus suscepit. Sic nostro Athenaeo ingratum accidit, quod talis viri laboribus se destitutum iri videbat. Post ferias autem aestivas praecedentis anni, ille Amstelodamum tandem discedens amici consortii memoriam collegio nostro reliquit.

Damnum, quod, hujus doctissimi viri abitu, passura erat Illustris haec schola Daventriaca, promte resarciendum esse censentes amplissimi Curatores, tempestivis suis consiliis effecerunt, ut, praedictis jam feriis, ab hujus urbis senatu, successoris delectus institui posset. Delectus igitur est, qui se eruditis jam commendaverat, scripto, a Societate Ultrajectinâ auro coronato aliisque meritis, vir Clarissimus GREGORIUS MEES, Iuris Utriusque Doctor, judiciique Roterodamensis simul tunc judex vicarius.

Et hic delectus nobis gratissimus accidit, collega amicissime! Bonam tuam famam, quâ solâ, plerisque nostrum, adhuc absens innotueras, superavit praesentia. Vidimus hominem moribus suavissimis, modestum, affabilem, ad mutuam illam charitatem Christianam exercendam, si quid bene judico, ipsius religionis amore, egregie quoque eruditum. Audivimus eloquentiam tuam conspicuam Belgicâ illâ oratione, quâ de patriae historiae fontium usu, tam perspicue, tam eleganter disseruisti, ut viris non tantum, sed, quod forte difficilius est, feminis quoque cultioribus satisfecerint et placuerint tua verba.

Lectionibus etiam tuis frugiferis et amica consuetudine, jam per annuum fere cursum Academicum, juvenum literarum studiosorum animos tibi devinxisti. Prosperos successus laboribus tuis largiri pergat Dei gratia. Haec luctum domesticum, qui adventum tuum tibi tuisque tam tristem reddidit, in melius vertat; domumque tuam in posterum fortunet. Ad literaturae et historiae patriae, nec non Athenaei nostri florem multum conducat opera tua. Crescat in dies, quae tam suaviter nos invicem jam junxit, amicitia.

Ad laetiora porro hujus Athenaei fata referenda est erectio novae cathedrae studiis Chemiae et Botanices dicatae.

Diu hic jam desiderata fuerat harum scientiarum institutio Academica, in usum praesertim Medicinae studiosorum, qui praeparatoriis hujus artis studiis, in hac illustri scholâ, operam dare vellent. Et hic iterum observanda est prudens Curatorum vigilantia, quae rem difficilem, apud hujus provinciae ordines eo perduxit, ut hi viri praepotentes aliquod huic bonae causae adjuvandae subsidium, ex aerario provinciali, liberaliter concederent. Quo concesso, reliqua etiam tam bene sunt curata, ut optatum eventum hodie ante oculos habeamus. Praesens enim adest, qui, amplissimi hujus urbis senatus decreto, ad Chemiam et Botanicen in nostro Athenaeo profitendam vocatus est, quique hanc professionem suscepit docendique initium jam feliciter fecit, Medicinae Doctor eruditissimus, JOHANNES FREDERICUS HOFFMAN.

Ex animo tibi hoc munus gratulor, collega jam conjunctissime! Ad aures nostras pervenit impensum illud studium, quo hucusque Botanicae operam dedisti. Hoc studium te impulit ad longinguas regiones adeundas, ut eo uberiorem cognitionem acquireres mirificae sapientiae et potentiae Divinae, in amplissimo plantarum regno, ubique tam splendide elucentis. Huc te jam adduxit, suâ providentiâ, pater coelestis, ut saluberrimae, quâ tuum animum beavit, doctrinae thesaurum in communem usum conferres, medicinaeque studiosis tuâ arte inserviendo, illis viam aperires ad eam eruditionem, quae, tam multiplici modo, in sanitatem corporis, quin et animi influit. Quam jucundum est, tali munere primum hic fungi! Ab hoc inde tempore novum decus Athenaeo nostro accedat! Faxit Deus, ut uberrimos fructus labores tui ferant! Ejus prodigia explicans simul jucundâ animi quiete fruaris!

Ad commemorationem tuam hic amoenam reddendam si quid conferre potest aetate provectioris amica consuetudo, hanc tibi offero. Mutuae amicitiae tenero sensui et tuum animum esse apertum, jam praesagio. Sed et totum nostrum collegium amicitiae vinculum pulchre conjungat.

Ad Botanicen rite colendam et docendam requirebatur hortus. Et huic necessitati provisum est. — Splendidam collectionem librorum ad Historiam Naturalem et Medicinam pertinentium, quae Bibliothecae Academiae Gelro-Zutphanicae partem constituerat, Harderovici relinquere debui, in usum scholae, si quae forte ibi erigeretur, Clinicae, quum illuc aliquot abhinc annis, missus eram ad accipiendos illos libros, qui regio decreto, nostro Athenaeo erant adsignati. Jam vero, tali scholâ ibi non erectâ, Curatorum

petitioni, novo decreto, benevole satisfecit rex et reliquam illam collectionem Athenaei nostri usibus concedens. Bibliothecarii vigilantiâ, ea jam huc quoque traducta est. Hujus Athenaei bibliotheca assidue augetur. Ad Physicarum scientiarum culturam adjuvandam novae impensae factae sunt. In primis hic commemoranda est aedificatio et apparatio observatorii, quale hic adhuc deërat; ubi jam latus in coelum patet prospectus et Astronomicis observationibus opportuna occasio praebetur.

Quae quum ita sint A. H. laeti agnoscimus nobilem perseverantiam, quâ hujus urbis magistratus, omni, quâ valet, potestate, lubenter utitur, ut Athenaei Curatorum strenuis conatibus adjuvandis, ejus flori consulat.

Nec hodiernarum linguarum addiscendarum in hâc urbe deëst occasio. Postquam enim earum in hoc Athenaeo lector egregius IOHANNES PETRUS AREND, qui multiplices sui laboris fructus, per aliquot annos, tam hujus urbis quam Athenaei civium in usum, ore et scriptis protulerat, honorifico regis decreto, ad instituendos rei nauticae deditos juvenes, in eorum Gymnasium vocatus illuc abierat, aliâ ratione, per domesticum institutorem, qui peculiariter quoque Athenaei civibus inserviret, illarum linguarum in hâc urbe institutioni prospectum est.

Ex inopinato quidem, morte jam decessit, qui, instituto examine, primus electus erat talis magister, aetate provectior, multis itineribus, longoque institutionis usu, aliisque functionibus excultus, linguarumque insigni copiâ instructus. Sed ejus in locum successit vir juvenis bonâ famâ nobilis alibique institutionis experientiam jam nactus, qui, eodem examine, jam antea Anglicae in primis et Germanicae linguae haud exiguam peritiam nobis ostenderat.

Hujus Athenaei civibus solidioris doctrinae studiosis, igitur, non tantum ad antiquas literas et patrias ipsis in primis necessarias, sed etiam ad illas peregrinas hodiernas, quibus prorsus egere, hoc tempore, nequeunt, facilis hic patet aditus.

Generosi juvenes! qui regiâ viâ tendere studetis ad optatum exercitationum Academicarum scopum! Sinite me paucis adhuc vos alloqui. Quanto animi ardore flagramini, ut tam multiplicem, vobis opportunam, quae hic praebetur, discendi occasionem, in usum vestrum convertatis. Eâ strenue quidem, ut soletis, sed simul rectâ ratione, a quâ tantopere dependet suc-

cessus, uti conamini. Quae sit illa ratio, a studiorum ducibus, sed et attentâ consideratione et experientiâ, cognoscere poteritis. Assuescite, quovis tempore, magis minusque necessariis studiis primam maximamque, utilibus secundam, suavitatis tantum causâ appetitis ultimam operam impendere. Non semper tenditur arcus, suo tempore remittendus est. Sed cavendum, ne studiorum tempus absumant oblectamenta. Audivistis, quanta sit vis religionis Christianae, ad conciliandam saluberrimam eruditionem. Haec salutifera religio, quâ omnes educati estis, regnet igitur in animis vestris, formet et perficiat mores vestros, ad beate vivendum et moriendum vos conducat.

Mihi quidem, per hoc regiminis mei tempus, vestrâ observantiâ, nihil nisi jucundum accidit. Eâdem observantiâ obsequemini successorem meum. Maneat inter vos et nostrum ordinem idem porro consensus. Sed et vos invicem amicum vinculum semper conjungat.

Nil charitate mutuâ fratrum, nihil
Jucundius est concordiâ.

Perveni ad orationes finem, quo tandem, secundum amplissimi hujus urbis senatus decretum, conjunctissimo collegae VORSSELMAN DE HEER, tradendum est Athenaei regimen.

Accipe igitur hoc munus, collega amicissime! Haud minore cum jucunditate eo fungere quam equidem functus sum. Sub tuo regimine integer maneat noster ordo. Neque tu, tuo successori, alio nisi hoc solenni more, iterum illud tradas. Conservet Deus nobis has ad laborem vires et hanc sanitatem, quibus ipsius gratiâ huc usque fruimur. Spiritus Ipsius ope, pura Euangelii lux mentes nostras collustret et in veram eruditionem vitaeque sapientiam nos ducat. Tu feliciter perge naturae arcana explicare, ut eo melius cognoscatur naturae auctor, oreque et scriptis, studia tua in commune bonum conferre. Caeterum non minus laeta fata in posterum quam in praecedente biennio, subeat illustris haec schola. Discipulorum numerus major fuit et manet adhuc quam antea saepe hic vidi. Crescat in dies. Eorum nonnulli, in Academiis, nunc pergunt hujus Athenaei decus tueri, Alii hic iisdem vestigiis insistere avide cupiunt. Prosper eorum successus sit simul

laboris nostri fructus. Eorum neminem morte amisimus. Vivant diu vigeantque in patriae et ecclesiae salutem. Cavi, ne, meo neglectu, damni aliquid Athenaeum caperet. Tu quoque, pro viribus curabis, ut sartum tectumque, ab omni detrimento integrum servetur. Faxit Deus, ut floreant hic, sub talium curatorum clientelâ; floreant in patriâ, novi regis eodem ac patris ingenuo favore; floreant ubique, liberales artes scientiaeque; floreat summam eruditionem humanitatemque adeo alens Christi illa religio!

DIXI.

ANNOTATIO.

Pauca quaedam, brevitatis caussâ, ut fit, non pronuntiata, in oratione plene jam legenda praebentur. Huic annotationi reservavi, quae ad illustrandam meam de religionis Christianae vi ad vere erudiendos hominum animos sententiam praemonuissem, nisi magna copia rerum de fatis Athenaei memorandarum impedivisset, quominus amplior introductio coram auditoribus fieret. Lectoribus forte non ingratum erit, ea nunc hic addi. Sequentia sunt:

Ut aurum in fodinâ varium, sic in mentis animique nostri veluti thesauro, variae eximii valoris facultates et proprietates delitescunt, quae nonnisi debitâ curâ gnavoque labore in lucem protrahi atque ad proprium splendorem expoliri queunt. Quo praestantiores autem fructus, quam aurum et gemmas et pretiosissimas quasque res corporeas, generi humano affert, ad Dei similitudinem quodammodo excultus, hominum animus immortalis, eo magis necesse est, animorum culturam institui ratione ad eorum originem, indolem consiliumque, quo creati sunt, apte compositâ. Haec vero cultura a nobis ipsis non unice, quin potius dicam, parum modo dependet. A Deo oriundi sumus, qui cum sui imaginem nobis impresserit, et hanc ob causam, dicere possumus: *τοῦ καὶ γένος ἐσμέν*. Hoc suum genus, ut suâ origine dignum se gereret, non sibi reliquit, sed inde a mundi primordiis, sapientissime educavit Pater Coelestis.

Principio quidem, ex creatoris veluti manu recens prodiens homo, omnium rerum imperitus ac plane rudis, multisque periculis et illecebris expositus, peculiari numinis Divini egebat ductu, institutione et auxilio. Sine hâc ope, quamvis praestantissimis corporis animique donis instructus esset, quo se verteret nescivisset, his naturae beneficiis, secundum auctoris voluntatem, uti ac frui minime didicisset.

Sed si primi homines, hâc ope usi, nihilominus jam suo exemplo docuerunt, quam facile judicandi atque eligendi libertas, naturae nostrae propria in turpissimam ac perniciosissimam licentiam verti possit, quid de posteritate eorum dicendum erit? Num illi pulchrius ac tutius liberum suum arbitrium sequi se potuisse, ostenderunt? Nonne deinceps in pejus ruerunt, quotquot Deum ducem non sequentes sibi ipsi tamen mirifice sapere videbantur? Quamvis variis artibus eminuerint, an pietatis erga Deum et virtutis studio aeque eminuisse animique adeo eorum ad ingenuam humanitatem eruditi fuisse dicendi sunt? An naturae spectaculo non abusa fuit magna pars hominum ad superstitiosum ac stupidum operis Divini, non agnito invisibili opifice, cultum? Quantis erroribus, quam foedis vitiis ansam dedit haec stupiditas unicique veri creatoris ignoratio! Quam late serpsit, per seculorum decursum, haec mortalium ruditas! Quam mancam atque imperfectam reliquit summorum caeteroquin variisque doctrinis excultorum ingeniorum culturam! Profecto, nisi rebus humanis, opportune, semper intervenisset ipse Deus, caelestique suâ institutione, ad bene beateque vivendum, hujus terrae incolis, per vates sacros, viam commonstrasset, actum fuisset de omni humanitate atque eruditione. Irritum fuisset Dei

consilium, quo tam varia tamque praeclara mentis animique dona inter homines distribuit. Communi eorum abusu, humana societas in monstrosum, variis insaniis, libidinibus, injuriis, oppressionibus deditae turbae degenerasset chaos.

Huic vero corruptioni repagula continua objecit Deus. Per legatos suos, verae religionis cumque eâ junctae nobilis sapientiae semina, apud primaevos, spargere nunquam desiit. Veruntamen, feritate suâ, proh dolor! commune exitium, Noachi tempore, vix evasit totum illud genus hominum. Ingenui autem illius Dei cultoris prosapies, maxime aucta deinde ac per varias regiones dispersa, novis erroribus, iteratam minitabatur ruinam.

Quam sapienter vero deinceps, per ABRAHAMUM ejusque posteritatem, per MOSEN ejusque Divinam legislationem, per reliquos vates Hebraeos eorumque oracula, cavit humanarum rerum arbiter, ne, hoc in mundo, unquam, Divinae suae majestatis cognitio ac cultus, simulque omnia residua humanitatis semina interirent.

Computari minime potest, quot salubres effectus novus hic rerum ordo in Israeliticam gentem inductus habuerit porro, ad erudiendos etiam alienigenas. Cum Hebraeorum patriarchis ac legislatore, jam antiquitus fuit commercium Aegyptiis. Salomoneae sapientiae fama ac veneratio totum Orientem pervasit. Ex Oriente et Aegypto, vel Graecorum philosophi suam sapientiam arcessiverunt. In classicis Graecorum Latinorumque monumentis, vestigia historiae Sacrae passim comparent. Profecto, non ex suo tantum ingenio produxisse censendi sunt PLATONES et CICERONES illorumque similes praeclaram illam de rebus Divinis ac moribus doctrinam, quâ eorum scripta, mediis in erroribus, ubique tam splendide nitent. Varii, ex quibus sua hauserunt, rivi, ipsis licet insciis, ex eodem fonte revelatae, nobis, unici veri Dei institutionis haud dubie fluxere. Ne igitur illorum exemplo abutamur, ad nimis extollendas ingenii humani, sibi quasi relicti, vires. Grati potius observemus Dei ducis vestigia, apud variarum gentium sapientes illos, qui, quamvis cum vatibus vere Sacris minime comparandi sint nec scripta nostra sacra haberent, multa tamen eximia religionis atque humanitatis sparserunt semina, aliunde accepta. Ex ipsis, vero etiam, Judaeorum et Christianorum fontibus sacris desumta plurima, sed et alia probabiliter ex aliis iisque turbidis, in Arabiam derivatis, historiae Sacrae rivis oriunda, in Mohammedis Coranum irrepsere. Hinc lucidi illi purioris religionis et morum doctrinae radii, multis in fraudum atque errorum tenebris, ibi passim splendentes.

Quae quum ita sint, facile est perspectu, quam parum a nobis ipsis, quam multum a Dei ope atque institutione dependeat, in animis nostris ad veram pietatem, virtutem, humanitatem ac sapientiam erudiendis.

Quo purior igitur, quo perfectior et ad usus nostros accommodatior Divina illa institutio ad nos pervenit, eo uberiores fructus eruditionis, hoc nomine vere dignae, proferre poterit.

